
THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ ET HISTORICÆ,

Novas librorum editiones, præfationes, indices, nonnullasque summorum aliquot virorum labeculas notatas excutientes.

CUM

Quibusdam Josephi Scaligeri, Theodori Bezæ, Hadriani Junii, Hugonis Grotii, Claudii Salmasii, Andreæ Riveti, Jo. Henr. Heideggeri, & non neminis de morbo morteque Renati des Cartes epistolis, antea nunquam editis, lectu dignissimis.

Editio tertia prioribus emendatior & auctior.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO, A.D. 1699.
Excudebat JOHANNES OWENS.

7 [illegible] 4
1

2

NB in PA3, see an Account of Walton's Polyglott —

NB. there is a Second Part of this Book — see Carpzov. Crit. Sacr. PA20.

V. Bibl: Menckeniana P: 120

74.67

Crenius K. 74.b7

THOMÆ CRENII


ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ ET HISTORICÆ,

Novas librorum editiones, præfationes, indices, nonnullasque summorum aliquot virorum labeculas notatas excutientes.

CUM

Quibusdam Josephi Scaligeri, Theodori Bezæ, Hadriani Junii, Hugonis Grotii, Claudii Salmasii, Andreæ Riveti, Jo. Henr. Heideggeri, & non neminis de morbo morteque Renati des Cartes epistolis, antea nunquam editis, lectu dignissimis.

Editio tertia prioribus emendatior & auctior.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO, A.D. 1699.
Excudebat JOHANNES OWENS.

Typographphus Lectori S.

CUM oppido pauca præsentis Animadversionum libri, semel atque iterum admodum vitiose in Belgio editi, ad nos pervenerint exemplaria; illumque, sicut alibi, ita & apud nos, excipi cupide ac desiderari cognoscerem; tertio eum, ipso ab Auctore recognitum & nullibi non auctum, repetere volui: non tam ut compendio servirem, quam laudi; me scilicet nonnihil attulisse, quo humaniora juvarentur. Vale.

MAJORUM GLORIA
INGENTIBUS

Ætatemque longe supergressis, animi ingeniique virtutibus & integritate morum illustribus, optime spei & ad magna natis

ADOLESCENTIBUS,

Nobilissimis & doctis Dominis

D^no^. JACOBO ARCKENBOUT
VAN
VREDENBURGH,

D^no^. ANTONIO DE MEY,
ET
D^no^. JOHANNI PESSERO,

Artium, quæ ad humanitatem pertinent, & *Juris* Studiosis

HUNC LIBELLUM
L. M. Q.
D. D. D.

THOMAS CRENIUS.

VEluti magna vestra tacitus, vobisque id minime cogitantibus, suspexi sæpius ingenia æstimavique: ita devinam illo-

rum circa varietatem providentiam adverti itidem ſingularem plane. Innatam TIBI, ſagaciſſime Dn. ARCKENBOUTI, maximeque, ſupra quam dici poteſt, in quamplurimis neceſſariam negotiis, ipſiſque in Fabio ſaluberrimam Romanis tarditatem maxima ſoliditate compenſas ingenii & maturitate judicii ac perſpicacia. Quidquid enim agis, præſens tractas, nemoque citra jacturam veritatis te incogitantiæ convincet & temeritatis, juvenibus alias non infrequentis. Miram neminique non notam Humaniſſimi Dn. Parentis TUI JOHANNIS de MEY, Domini Tſelmondenſis comitatem morumque elegantiam, TU ejus fili Dn. ANTONI politiſſime temperas naturali quadam gravitate ſedatioreque animo. Et quia tecum conſiſtere, tecumque morari didiciſti, compoſitæ mentis eſſe, vel auctore Annæo noſtro, perhiberis merito. Ceterum & acerrimi non raro mihi ſigna tui ingenii dediſti, præſagia futuræ prudentiæ, qui nonum & decimum vix ingreſſus annum obſcuriſſima quæque jam vides, minimeque facilia tentas. Sunt hi certo cum indolis experimento guſtus animi procedente tempore ad ſummum gloriæ cumulum perventuri. In TE vero, & antiquitate generis,

&

& gloria meritisque majorum & tua propria modestia, Ornatissime Dn. JOH. PESSERE, *tantam tamque mirificam semper virtutis indolem cum elegante & eximio plane deprehendi ingenio, ut alacritate nec Tuo olim fratri, communi Urbis universæ nostræ delicio,* DAMASO, *ad omnia summa nato cedere, quin nec amplissimo Parenti Tuo, Viro Consularis olim dignitatis, ignea vi debeas. Imo utrumque, TE, debitam si adhibueris uniceque Tibi necessariam diligentiam, ingenio æquiparaturum non vane polliceor. Omnia enim, si advertis animum, tibi sunt in promptu atque facilia, nihil inaccessum. Excitatus animus, læta mens, magnus vigor, ingenuus vultus, corporis agilitas, blanda adfabilitas, & huic non adeo frequens ætati solertia sicut TE omnibus meliore de nota commendant: ita cives nostros omnes fere nobilitate, divitiis, suavitate jucunditateque præstas. Hæc me adlexerunt jamdudum in vobis animadversa, ut pueritiæ vestræ blandimenta sinu quasi paterno atque adfectu meo foverim, vosque bonis artibus, litteris atque scientiis instruxerim pro modo virium & captu vestro. Neminem nostrum fugit plurimum adjuvari bonam indolem, si inter*

docentes ac discentes mutua quædam sit & suavis animorum propensio, ita ut Magister in discipulum paternum, discipulus autem in Magistrum filialem plane induat adfectum. Ubi enim mutuum hujusmodi pro adfectu regnat odium, ibi frustra laborari utrimque minime dubitandum est. Neque enim ea, qua par est, fidelitate docere præceptor eum potest discipulum, à quo se contemni scit aut odio aut ludibrio haberi. Neque discipulus ea, qua oportebat intentione, Præceptori auscultat & obtemperat, quem ipse in animo suo adspernatur & odit, deque quo non optima sibi pollicetur. Propterea Agasicles Rex ille Lacedæmonius, eorum se discipulum esse velle ajebat quorum esset & filius. Significans, non minus interesse quos nactus sis parentes, quam quos adsciscas Præceptores. Ceterum quam benevolo hactenus soloque paterno minore vos dilectionis adfectu prosequutus fuerim, scitis ipsi; declararunt eum vobis meæ non incognitæ nec ingratæ actiones, quin nec exuam in posterum. Ipso ex illo quoque præsens hæc nascitur libelli dedicatio solo vobis obferentis animo æstimanda. Attendistis mihi hactenus, ego docui vos bonas artes & litteras, eamque in curam tota

mente

mente omnique impetu animi incubui, ut vos, quod quidem possem, doctos eruditosque quam facillime redderem. Jam Vale vobis dico tradoque Academiis. Magna sunt sanguinis vestri nomina, magnam domesticæ laudis & gloriæ sustinetis exspectationem. VOBIS enitendum est, ne Majorum cuiquam vestrorum concedatis. Citra controversiam è veritatis Republica est, quod in secundo de Officiis, cap. XIII. *Tullius ait*: Si quis ab ineunte ætate habet caussam celebritatis, & nominis à patre acceptam; in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur: & tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum. *Excitet hoc ipsum vos omnem ad virtutis ardorem, amoremque eruditionis. Inardescat vestra his igniculis generosa indoles.* Quis enim est generosus? *quærit in XLIV. epistola Romanus sapiens Annæus noster, & ibidem respondet*: ad virtutem bene à natura compositus. *Quare nomen hoc præclare tuetur hæc vestra indoles, ita ut vere de vobis ejusdem è XCV. epistola sapientis verba usurpare possim*: Pars naturæ *vestræ* est, esse bonos: ita quidem egregiam sortiti indolem,

dolem, in ea, quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cum primum audierunt. Unde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? At illis aut hebetibus & obtuſis, aut mala conſuetudine obſeſſis, diu rubigo animorum effricanda eſt. *Gratulor itaque & virtuti veſtræ, & Academiis noſtris gaudeo, quod dignæ viſæ ſunt conſpectu veſtro: ad excitandas has ingenii veſtri ſcintillas, ſuis inſtitutionibus, ut brevi lucidiſſimam flammam per totam patriam proferant pietatis, temperantiæ, modeſtiæ, gravitatis, ſapientiæ; quæ omnia, quo majora ſunt, eo magis vos onero dicta exſpectatione venerabilium parentum, avunculorum, cognatorum, tutorum, omniumque hominum; quam, ut confido, non falletis: & efficietis, ut hæc non adulanter, ſed vere ſcripta eſſe homines videant. Valete, continuationemque harum Animadverſionum, DEO propitio, exſpectate propediem.*

THOMÆ

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM ET HISTORICARUM

CAPUT I.

§. I. QUAM ingens Reipubl. litterariæ novis suis quibusdam editionibus Typographi attulerint damnum, ante oculos atque in conspectu eruditorum est, & pii ac boni omnes ubique deplorant. Hi quippe, libris in edendis avaritiæ suæ, & minime egregio publico servientes, quando vident, brevi hoc vel illud tempore scriptum aliquali pretio divenditum, spretis doctorum judiciis, falcem in alienam messem immittunt; novam editionem, vitiis Typographicis, quæ in priore occurrerant, non solum retentis, sed & ob defectum idonei Correctoris, (cujus operam, ut sumtibus parcant, non desiderant,) infinitis de novo additis, refertissimam extrudunt; &, quod omnium pessimum est, mutilam, depravatam, hiantem, non sine arcano

quæſtus. Ut enim tanto felicius malam ſuam emptori novam ingerant editionem, multa veteri exemplo maxime neceſſaria, ut hæc nova minor in chartis & pretio evadat, demunt; clavemque libri, indicem, & præfationem ceu ſummam & argumentum ſcripti, imperite omittunt.

§. II. Centurias Magdeburgenſes, opus ob Hiſtoriam Eccleſiaſticam lectione digniſſimum, præfationibus longe utiliſſimis librarius ſpoliavit Baſileenſis Ludovicus Rex, vel potius M. Ludovicus Lucius, Baſileenſis Academiæ Profeſſor, in editione Baſil. M.DC.XXIV. omiſſis quoque, quem in finem neſcio, ipſis auctorum nominibus; niſi forte, ut videri poſſit proprium. Veterem Hamburgenſem pretioſi Theologiæ Exegeticæ theſauri, Scholæ Propheticæ B. Daniel. Crameri editionem anni CIↃ IↃC VI. in 8vo qui cum recentiſſima in 4to permutat, detrimentum facit, ob omiſſas præfationes. Friderici Balduini Wittenbergenſis Theologi commentarius in tres ultimos minores Prophetas, B. Joh. Schmidii expoſitioni Prophetas in minores ſubjunctus, præfatione editioni in 8vo veteri præmiſſa deſtituitur. Deprehendo & id in Jo. Crocii commentariis in Epiſtolas Pauli in fol. editis, ut è re ſit, ob præfationes, exempla in 8vo retinere vel comparare. Eadem ſors obtigit magni illius Jo. Hulſemanni animadverſionibus in Bellarminum, quarum novæ editioni in 4to Dnn. Lipſenſes Theologos non melius advigilâſſe, eruditi mirantur. Topicam Calvinianam ampliſſimi Theologi B. Jo. Chriſtophori Seldii ſecunda vice edi curavit ejus gener, ſed ſine præfatione veteri exemplo in 12mo ad Sereniſſ. Serveſtanum Principem erudite præfixa; quæ negligentia in Viro docto minime ferenda. Tantum enim abeſt, ut elaboratiſſima & ſancta horum optimorum Theologorum ſcripta ſint abolenda

abolenda vel negligenda, ut potius omnes omnium bibliothecæ, vel ad tantorum Virorum fragmenta in pluteis hinc inde delitescentia extrahenda, investigandæ sint, tanto ne mundus defraudetur thesauro. BB. Mentzeri & Justi Fewrbornii Operum novam editionem Francofurtanam memorare pudet me: tam misere enim maximorum Theologorum utilissimos tractatus Typographi curârunt, ut vix legi mereantur. Incomparabilis Henrici Hopfneri scripta vellem in attentiorem incidissent editorem; sic enim non tam multa prætermissa fuissent, ut in editione Lipsensi factum.

§. III. Henrici Stephani magni illius litterarum Græcarum vindicis cura, sumtu, ac elegantissimo typo in forma 12 anno M. D. LXXVI Novum Testamentum Græcum prodiit, cui elegantissimam, multa admodum scitu necessaria continentem, præfationem præmisit: hanc usque adeo insequentes neglexerunt Typographi, ut, licet vel millies ab eo tempore Novum Testamentum impresserint, nemo tamen iis ex omnibus vel particulam illius præfationis nobis dederit; nisi quod Balduinus Walæus, Antonii filius, Federat. Belgarum ad Potentiss. Galliar. Regem Legationi à sacris, eam, non tamen integram, dedicationeque omissa, suis Novi Testamenti Libris Historicis, perpetuo Commentario ex Antiquitate, Historicis, Philologia illustratis, & Lugduni Batavorum in 4to CIↃ IↃC LIII. excusis, præmisit. Usque adeo vetera utilia & elaborata scripta excutiuntur è manibus hominum & abolentur paullatim: quod quam multi velint, ex Laurentio Villavincentio Augustiniano patet, qui utilissimum opus Andreæ Gerhardi, à patria Hyperii, de ratione studii Theologici totum suppilavit, & sub suo nomine (mutatis tantum atque omissis illis, quæ Pontificios tangebant)

tali, ut majore non poſſet, plagio edidit. Neque enim tantum *vitula*, quod Hottingerus in part. I. Bibliothecarii, cap. IV. §. V. m. 73. putat, *aravit Hyperii* Villavincentius, ſed totum tranſſcripſit ſine ulla mentione Hyperii. Theodori Bezæ Præfationem, anno M. D. LI. ex Academia Lauſanenſi ſcriptam & Jo. Calvini Commentariis in Epiſtolas Pauli præfixam, fruſtra quæris in editione Jo. Criſpini anno M. D. LII.

§. IV. Anno M. D. XCIV. edidit Joannes le Preux Bibliopola Pariſienſis, utiliores forte, quam ignara earum juventus putat, Phraſes Aldi Manutii, Paulli filii, cum doctiſſima præfatione Joannis Caſelii, immortalis memoriæ Viri; in qua de ingenuarum litterarum peſtibus, nimirum quod tantopere aut Latina Lingua negligitur, aut aliter, quam fieri conveniebat, diſcitur, atque non tantum ab adoleſcentibus, ſed & ab iis, qui ejus ſe egregios magiſtros profitentur, tractatur, ſolide, quod ſolet ille, & admodum erudite cogitat. Hæc epiſtola vel diſſertatio veluti non cara auro contra eſt, ita minime ſupprimenda, quin vel ſola in uſum juventutis excudenda erat, quam tamen ſtupida ignorantia & diſſoluta incuria in omnibus inſequentibus editionibus omiſſam non ſine cordolio vidi. Joan. Mantelius editioni Antuerpienſi anni M. DC. XLII. vitam Nicaſii Baxii Auguſtiniani, quem Phraſes Manutii auxiſſe in inſcriptione ait, præmittere maluit potius, quam utilem iſtam ac doctam Caſelii præfationem. Deſumſit tamen iſtam præfationem le Preux ex editione ſuperiori ſeculo Coloniæ M. D. XCIII. in 8vo publicata, in qua ſola iſtam offendi. Ceteris Typographis aliquos in eam impendere ſumtus operæ pretium nullum viſum fuit; ſicuti nec Petro Carpenterio, Antuerpio, Roterodamenſis ſcholæ Recto-

ri olim, qui Aldi Manutii Phrases tabulis delineavit & aliquoties curavit. Nos inseruimus eam parti I. nostr. Methodor. studiorum Cll. Viror. n. V. p. 150. Carolus Labbæus Petr. Pithoei Operum editor, omisit ejus Præfationem in Itinerarium Hierosolymitanum. Janus Lascaris emisit Maximi Planudis, Monachi Græci, Conlectionem Epigrammatum Græcorum, è Meleagro scil. Philippo, & Agathia, (de quibus vide Salmas. in Solin. p. m. 596. a. C. D. edit. Traject. CIↃ DC LXXXIX. in fol.) quam Petro Mediceo Reipubl. Florentinæ Principi dedicavit; quæ dedicatio posterioribus in editionibus, Typographorum avaritia, omissa est.

§. V. De Johanne Veenhusio Bremensi, celeberr. Jacobo Thomasio & Christoph. Cellario, mirari subit, quî factum, quod, cum Plinii Epistolas satis accurate recensuerint, Aldi Manutii & Andreæ Cratandri præfationes neglexerint, quæ præfixæ leguntur editioni Plinii Epistol. Lugduni excusæ in ædib. Laurentii Hilarii sumtu honesti viri Vincentii de Portonariis de Tridino, de Montferrato M. D. XXIX. Partem dedicationis Aldinæ admodum brevem recenset in p. 8. præfationis suæ dictus Thomasius, quæ, quod illa non destitutus fuerit, indicat. An vero hanc Cratandri habuerit, dicere non habeo. Basileensis utriusque à Cratandro excusæ editionis Plinii memorat idem, p. 10. Apollonium Collatium Lugduni Batav. anno CIↃ IↃ LXXXVI. Vanderburchius *recudi* non *secundo*, quæ ejus verba, *fecit*; sed quarto. Editus enim primum, ut puto, in Italia erat; deinde à Gagnæo Parisiis CIↃ IↃ XLVI. repetitus; tertio à Bignæo Bibliothecæ Patrum inditus, id quod nec ipse Vanderburchius celat; quarto ab hoc tandem reproductus. Hic Vanderburchius in præfatione incertum esse, quo tempore vixerit, ac à Margarino sub

ſeptimo Centenario locatum fuiſſe, profitetur. *Mala autem cum poſteritate fide egit*, ait b. r. Chriſtianus Daumius Philologus diligentiſſimus, p. 27. Epiſtol. Reineſii ad Daumium n. IX. *Gagnæi ſi qua præfatio adfuit, uti non dubito, (præfixit enim tales ceteris à ſe publicatis,) eam ſuæ editioni non addens.* Dionyſii Petavii, Aurelianenſis Jeſuitæ, dedicationem Rationario Temporum in editione Pariſina præmiſſam tanti non æſtimavit nuperus editor Franequeranus, ut in ſua editione vel minimam ejus curam habuerit. Quanto prudentius vero hac in parte ſe geſſit ὁ πάνυ Grævius amicus noſter, quippe qui ſuo veterum in Suetonium interpretum præfationes Commentario indidit integras. Antiquior autem editio Suetonii anni CIƆ IƆC LXXI. emendatior eſt nova de anno M. DC. XCI. in qua & elegans Dni. Grævii dedicatio, qua Epiſcopum Paderbornenſem honoravit, omiſſa eſt, etſi loco ejus alia Seren. Elect. Brandenburg. facta, ſubſtituta legitur. Jamdudum doluit eruditis, doctiſſimum Janum Gruterum præfationibus privâſſe plerumque tractatus illos, quos uno ſex tomis diſtincto corpore complexus eſt, ad Lampada ſive facem Artium Liberalium, hoc eſt, Theſaurum Criticum inſcripſit, Francofurti anno CIƆ IƆC II. & ſequentibus in 8vo editos. Cui Lampadi forte aliquando oleum ſuffundemus, ſi DEUS, Valetudo & Typographi nobis non deerunt. Auctores dicto in Theſauro Critico contentos enumerat Caſpar Scioppius in Conſultat. II. de Scholar. & ſtudior. ratione, cap. XXXV. p. m. 334. edit. optimæ Roterodamenſ. quam Nos anno M. DC. LXXXXII. dedimus in 4to. Non eſt contemnenda, ſuo quam de Originibus Latinæ Linguæ multum ad humanitatis ſtudia ſcripto facienti præmiſit, dedicatoria epiſtola Chriſtiani Becmanni Bornenſis de anno CIƆ IƆC VIII: nullum

lum tamen in recentioribus, quas nobis Francofurtum in numero dedit, editionibus locum invenire potuit. Prima si quem deficit editio, supplere defectum in novis suis libris poterit dicti è Becmanni Epistolis Hanoviæ impressis anno M. DC. XIX. in 8vo; quippe in quarum pagina 13 laudata habetur epistola. Sunt & præter epistolas eodem ibidem anno reliqua ejus non inutilia opuscula, ut *Schediasma Philologicum*; *Apologia pro eodem*; *De usu Logices*; *Exegesis Psalmi* LXXXXI; *Orationes*, *Dissertationes & Poëmata*; junctim edita. Succenseo Rudolpho à Zijl, quod eruditam Josephi Scaligeri ad Cl. Puteanum, Consiliarium Regium in suprema Curia Parisiensi, præmissam præfationem editioni Catulli, Tibulli, Propertii Bibliopolio in Commeliniano CIↃ IↃC. impressæ abjecerit, nec suæ Trajectinæ de anno CIↃ IↃC LXXX. inseruerit.

§. VI. Quæ omnia à nobis eâ fini adducuntur, ne novis nimium fidat incauta juventus editionibus. Πολυμαθέστατ Erasmi Roterodami Adagiorum (amplissimi illius Philologiæ campi, quo nemo carere potest Latinæ Linguæ paullulum studiosior; utpote *in quo eruditio multiplex*, *omnia grata*, *elegantia*, *aut ipsæ potius Gratiæ*, *sales*, *dicteria*, *gemmæ*, *lumina*, *denique Attica Musa*, *Copiæ cornu*, *Ilias bonorum*, ut Adagiorum illud opus Conradus Gesnerus in fol. 198. Bibliothecæ suæ adpellitat) diversæ, & variæ reperiuntur editiones. Frobeniana citra controversiam est emendatissima. Edidit & Henricus Stephanus è Typographeo suo; cui multum tribuo. Nova editio, quæ typis Wechelianis & sumtibus Joannis Pressii M. DC. XLVI. prodiit, omnium est corruptissima, licet ceteris, & quoad ipsas præfationes, locupletior: nam adjuncta sunt Erasmi Chiliadibus Cognati, Junii, Brassicani,

cani, Ulpii, Petri Godofredi, Canteri, Giselini, Henrici Stephani, Corocottæ, Polydori Virgilii & aliorum Auctorum proverbia & adagia. Ita ut recentior editio quidem sit, uti dixi, locupletior; at vetus correctior: quod mirum non est, cum palam sit, longe majori studio & diligentia superiore, quam hoc ipso libros impressos esse seculo. Quod chartarum & typorum elegantia vincamus, nemo negat; sed quod & plurimos parum emendate impressos legamus libros, ipsa quoque impudentia in dubium vocare non potest. Sic editio Epistolarum Erasmi Frobeniana, editione Londinensi, & ceteris longe melior est & correctior: multis enim mendis Anglicana hæc scatet, quamquam aliqua parte locupletior. Index huic operi subjectus utilissimus est. Ciceronis opera II. Voluminib. Hamburgi in fol. anno CIↃ IↃC XVIII. impressa cum Londinensi eorum editione M. DC. LXXXI. ab Adamo Littletonio curata, vel ob omissa capita non permutarem. Vetus Julii Cæsaris editio, quam cum notis varior. integris Cl. Gothofredus Jungermannus Lipsiensis Francof. M. DC. VI. in 4to curavit, correctior est altera multis in locis, etsi auctior & comtior in titulo vocetur. Est quidem sane hæc secunda Francof. CIↃ IↃC LXIX. impressa editio, ob additam in fine Jos. Scaligeri Notitiam Galliæ deprromptam ex editione Elzeviriana, & Aldi Manutii brevem de Galliæ divisione commentationem, aliquo modo auctior, & ob additos versus vel incisa, in priori omissa, non solum comtior, sed & utilior: at quia præfatio ad Lectorem eruditissima, in qua de totius operis ratione cum cura differitur, fœde prætermissa est, multaque σφάλματα in auctore ipso & notis admissa, utramque cum damno rei familiaris comparare cogimur. Hoc à præ-

ceptoribus

ceptoribus docenda eſt ſtudioſa juventus, ut noſcat bonos auctores, utiles libros, & optimas editiones; diſcatque talia ſibi mox ſub initium ſtudiorum comparare exempla, quibus tuto fidere, & per totam vitam magno cum emolumento uti poſſit. Monſtrant id non infeliciter Jo. Henr. Boeclerus in de Scriptoribus: Celeb. Dn. Olaus Borrichius in de Poëtis: Cl. Dn. Martinus Hanckius de Scriptoribus: Eruditiſſ. Dn. Daniel Georg. Morhofius in Polyhiſtore: Jo. Andr. Boſius, acerrimi Vir judicii & infinitæ lectionis, in de comparanda prudentia juxta & eloquentia civili; item in Introductione Generali in notitiam rerumpubl. Orbis univerſi; & in Schediaſmate nunquam ſatis ob utilitatem laudando, de comparanda notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum: Jo. Henr. Hottingerus, Theologus olim Tigurinus & Heidelbergenſis, in Bibliothecario: Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina, ſive Notitia Auctorum Veterum Latinorum, quorumcumque ſcripta ad nos pervenerunt, Hamburg. 1697. in 8vo. Faciunt huc etiam Catalogi de Bibliothecis Virorum eruditorum, ut per auctionem diſtraherentur publice, facti; v. c. Pauli Junii, Lugd. 1670. publicatus. Nicolai Heinſii, qui anno 1682. prodiit. Adriani Pauwen, qui Hagæ 1654. & 1656. editus; in quo multi & ſelecti libri. Marci Zuerii Boxhornii, Joannis Coccii Eloquentiæ & Hiſtoriar. in Academ. Lugdun. Profeſſoris, Abrahami Heidani, Jacobi Oiſelii, ſorte & Petri Serarii, aliorumque. *Ex inſpectione enim*, quod recte monet harum rerum adprime prudens Dn. Morhofius, primo Polyhiſtoris, c. XVIII. p. 214, *talis catalogi ſtatim patet viri induſtria & judicium in bonorum auctorum ſelectu inſtituendo.* Mirari vero ſubit, ut hoc obiter dicam, ipſo in adducto capite, ubi Catalogorum ſcriptores recenſentur, Summæ librorum

Academiæ

Academiæ Venetæ M. D. LIX. in Academia Veneta impressæ nullam plane mentionem fieri. Doctissimum Virum forte non fugit hæc Summa, sed non venit in mentem; quod nemini non Scriptori contingit.

§. VII. Ceterum ne Typographi nos fluctus in simpulo excitare, remque leviculam esse, præfationes omittere, ajant; operæ pretium est audire Jo. Henr. Hottingerum, Virum variis lucubrationibus cedro dignissimis celeberrimum, cujus in Part. I. cap. VII. Bibliothecarii p. 119, 120. verba hæc sunt. *Ut de præfationibus aliquid* ἐν παρέργῳ *moneamus, miror de illis, earumque usu, adeo paucos hactenus fuisse sollicitos. Cum antehac, animi recreandi gratia, post sumtum statim cibum, ad lectionem præfationum cursoriam accessissem, adeo nectare illo fui allectus, ut ægre à consuetudine illa potuerim avelli. Vidi enim ibi unitam quandam virtutem, & majorem nonnunquam in paucis pagellis, quam vastis voluminibus,* δεινότητα· *thesaurum latentem, sed à paucissimis observatum. Styli, ut plurimum, ibi vernans, imo florentissima observatur elegantia; usque adeo, ut ab eruditis jam sit animadversum, vel tres Præfationes,* Calvini *in Institutiones*, Thuani *in Historiam*, Casauboni *in Polybium, omnem ferme exhaurire Latinitatem, & formandi styli exemplum præbere. Ut vero admirari quidem possumus, debemus etiam, styli in præfationibus istis fastigium; ita & rerum in iisdem reperias adparatum eximium, historicum, theologicum &c. Nam &* Ille *antiquitatum suffragio cumulate probat, novitatis nomine immerito nobis conflari invidiam; &* Iste *aperte condocefacit, sanguine Martyrum Ecclesias non, quod intendebant adversarii, exstirpari, sed seri potius & plantari. Abstinendum ergo ab hoc esse rigore, & aliam excutiendam quercum.* Hæc Hottingerus. Quid è præfatione quatuorvirûm Tomi

seu

seu Centuriæ I. Magdeburgens. celeberrimus Dorscheus eliciat, legi apud ipsum potest in utiliss. præfationis Latroni Theologo præfixæ pagina 33. Non præter rem Vir post hominum memoriam in litteris vere magnus Desiderius Erasmus Roterodamus in Catalogo Lucubrationum suarum, seu epistola Dno. Joanni Botzhemio J. U. D. & Canonico Constantiensi scripta, maleque, ut plurimæ aliæ, quæ vel penes me sunt, in Epistolarum ejus opere Basileæ anno M. D. XXXVIII. per Frobenium edito prætermissa, de scriptis suis omnibus in tomos digerendis agens, ait p. m. 70. (qui tamen paginarum numerus à mea manu additus est) editionis Antuerpiensis anno M. D. XXXVII. in 8vo. *Nolim omitti Præfationes; quæ declarant, quid cuique dicatum sit.* Et post pauca. *Addi velim Præfationes aliquot dedicatorias, quas Typographi suo arbitratu solent vel omittere, vel mutare. Talis est præfatio in Opera D. Hilarii & Cypriani; in Lexicon Græcum: Epistola ad Joannem Paludanum addita Panegyrico ad Philippum: Præfatio addita libello de Principe ad Ferdinandum Caroli Fratrem, aut si quæ aliæ videbuntur indignæ, quæ pereant.* Hæc legens indignor negligentiam Erasmi, quod auream suam paucisque ex eruditioribus quoque cognitam de Proverbiis epistolam dedicatoriam, Adagiorum operi sive Conlectaneis Argentorati per Matthiam Schurerium Selestensem anno M. D. XVII. in 4to evulgatis præmissam, satis longam ac eruditam, aliis in exemplis omnibus postea excusis omiserit ac susque deque habuerit. Neque enim comparet in octavo & vigesimo Operis Epistolarum Erasmi libro, in quo ceteræ habentur præfationes ejus. Sane non omittenda erat vel hic, vel in nova Francofurtana Adagiorum editione, ceteris Erasmi dedicatoriis Epistolis doctrina & eruditione si non
prior,

prior, at ſaltem non deterior. Ergo illa ceu excellenti bono gaudeo & fruor.

§. VIII. Similiter non temere ſed merito ſuccenſeo curatoribus Voſſii Inſtitutionum Oratoriarum Marburgenſibus, qui præfationes veteribus, ut Dordracenæ, & aliis editionibus à Voſſio eleganter præmiſſas omiſerunt & ſeculo inviderunt. Cl. Dn. Jacob. Thomaſium in abs ſe Mureti Orationum & Epiſtolar. curata editione Lipſienſi præfationem Jacobi Roſetti Venetam, Ingolſtadienſem M. Joannis Cræſelii Vilſeccenſis, & laudatiſſimæ, dum viveret, induſtriæ Viri, ut ille ipſe Thomaſius vocat, Joannis Friderichi Lipſienſem prætermiſiſſe, male eruditos habet. Condonaremus ipſi hoc, ſi non ad manus habuiſſet, aut Typographus ſumtus vel craſſitudinem libri, aut aliud quid, quod ſolent illi, cauſſatus, noluiſſet repetere; ſed, quod ipſi *non neceſſe viſum addere, quidquid alienarum præfationum uſpiam compareret*, indictum mallemus. De cetero magnam ejus non ſolum Mureti, ſed & Manutii epiſtolarum editio meretur laudem; ſicuti & illius ipſius præfationum ſub auſpicia diſputationum in Academia Lipſienſi recitatarum argumenti varii liber, quem erudito cum ſeculo communicavit: adclamamus illi iſto pro labore Theocriti illud, μεγάλη χάρις αὐτῷ. Etſi non ignorem Cl. Morhofium exiſtimare in c. I. p. 20. Collegii Epiſtolici, *Thomaſium, ſi verum fateri velimus, noviſſimæ Manutii Epiſtol. editioni Lipſienſi non multum diligentiæ impendiſſe.* Sicut nec forte Boxhornii epiſtolis ab ipſo Lipſiæ curatis. Præſtat tamen Præfatione Amſtelodamenſem CIↃ IↃC LXII. Superiore ſeculo M. D. XX. Pariſiis de la Barre Præfationes, Prælectiones, & lepidiſſimas Orationes optimorum diſertiſſimorumque politioris

politioris litteraturæ procerum, Philippi Beroaldi & Hermolai Barbari, communem ad studiosorum omnium emisit usum, in quas qui incidere potest, felix est. Joannis Passeratii, Eloquentiæ Professoris & interpretis regii, Orationes & Præfationes Francofurti impressæ sunt in 12 anno M. DC. XXII. quæ eloquentiæ studiosis adprime utiles, jucundæ ac pernecessariæ. Joannis Sturmii præfationes sub titulo Prolegomenorum in unum corpus conlectæ, Tiguri editæ sunt; in quibus, ut editor Toxites recte sentit, sunt multarum artium rerumque optimarum insignes loci, quarum usus non minori cum utilitate, quam judicio explicatur. Hic de Dialecticis, de via intelligendi Platonis Dialogos, de imitando Cicerone, de contentione inter Erasmum & Longolium orta, de verborum ἀναλύσει ac delectu, de lectione Ciceronis, de Demosthenis atque Æschinis discrimine, de dicendi artibus, de Historiæ utilitate, multa proponuntur. Sunt & in Tomis Declamationum & Intimationum Wittebergæ superiori seculo sub initium reformationis habitarum nonnullæ præfationes, quæ ut cognoscantur, rei Theologicæ & litterariæ interest. Quam rari autem dicti Declamationum & Intimationum, id est, programmatum Tomi in Bibliothecis Belgicis, ubi alias maxima rarorum & selectorum librorum copia, sint, Catalogi indicant, in quibus me illorum titulum hactenus legisse, nisi semel, non recordor. Leguntur & Pauli Benii Eugubini Præfationes non ineruditæ LXXV. ejus Orationibus subjectæ & Venetiis excusæ anno M. DC. XXV. in fol. Dionysii Petavii, Aurelianensis Jesuitæ, primus epistolarum liber meris è præfationibus constat.

§. IX. Herm. Conringii Epistolæ prodierunt Helmestadii in 4to junctim, quæ prius sparsim edi-

tæ

tæ fuerunt, & librorum frontiſpiciis præfixæ. Ejus enim Viri celebritate commoti multi, qui monumenta ingenii publicârunt, ipſius operam ſollicitaverunt in præfationibus operibus ſuis præmittendis. Eas unum in corpus poſtea redegit, quo continentur multa Theologica, Hiſtorica, Phyſica, Politica, Philologica, prout argumenta librorum ſe ipſi obtulerunt. Adjecit quoque librorum ſuorum præfationes, quod olim quoque fecit Ericius Puteanus, qui è præfationibus & dedicationibus librorum, quos ipſe confecerat, peculiare ſyntagma collegit, ſub titulo *Pompæ Proſphoneticæ*, uſui forte futurum ſingulari illis, qui dedicatorias epiſtolas ſcribunt. *Conſilium non adeo ſpernendum*, ſubjicit Dn. Morhoſius c. XXIV. primi Polyhiſtoris Litterar. p. 297, *ſi quis corpus aliquod ſelectiorum dedicationum ex variis auctoribus collectum conficeret. Solent enim in iis cumulari floridi ſtyli argumenta, enthymemata encomiaſtica, quorum præcipuus in orationibus Panegyricis uſus eſt; ne quid dicam de uſu illo in argumentis librorum quaſi ſummaria notitia cognoſcendis.* Et hæc de præfationibus.

§. X. Veluti vero novi librorum editores in principio, ita & in fine demendo, vel non addendo indices ſuis editionibus, multum in utilitatem publicam peccant. Nam non ſolum illos confici non curant, ſed nec ab aliis confectos addi volunt; ea mente, ut viliori ſuum exemplar pretio vendere poſſint, ac is, qui plures huic libro ſumtus, ut lectori & juventuti proſit, excudendo fecit. Omnes in Belgio excuſi ſunt Romani Scriptores nitidiſſime, ſed pauciſſimi cum indicibus; & qui additi ſunt indices, non ſumtibus Typographorum ſunt confecti, (de hoc enim ſibi cavent vel circumſpectiſſime;) at expreſſi è Germanorum libris, quos recuderunt, niſi

forte

ſorte unum optimi Bernecceri indicem in Suetonium uberrimum excipere velis, de quo doctiſſ. Grævius in præfat. monet, *quod illum à Bernecceri generi, Joannis Freinſhemii, heredibus ære ſuo Typographus comparavit.* Addidit tamen & optimæ ſuæ editioni Ultrajectinæ Juvenalis de anno CIↃ IↃC LXXXV. pleniſſimum indicem Cl. Dn. Henric. Chriſtian. Henninius. Quo ipſo præſtat editioni eadem ex officina prodeunti CIↃ IↃC LXXX. Catulli, Tibulli & Propertii, qua in diligentiſſimo ab Horatio Tuſcanella concinnatus index plane omiſſus eſt. Et vel hoc ſolo nomine commendo editiones Romanorum Scriptorum Pariſiis in uſum Delphini impreſſas; in quibus tamen hoc arcanum adhibuerunt, quod indices ita confecerint, ut tantum illius exemplaris paginis reſponderent, nec recudendis aliis exemplis inſervirent; inde neque libros, neque capita, neque verſus, ſed tantum paginam, & poſtmodum verſus in pagina notârunt. Cum vero ingentibus illis malis, quæ ex hac Typographorum avara ignorantia redundant in ſcholam & eccleſiam, occurri privatorum conſiliis nequeat; conſiderare ea Magiſtratus & Scholarum curatores decebat, & dare operam, ut coerceretur licentia iſta, & prohiberentur promiſcuæ divulgationes libellorum ſtudiis juventutis deſtinatorum. De Plinio, quem in Delphini uſum Joannes Hardouinus edidit, judicat in ad Lectorem præfatione incomparabilis parentis ſui novæ *Pecuniæ Veteris* editioni præfixa ſoli ſecundus parenti Dn. Jac. Gronovius. Qui idem & in præfatione Ciceroni à ſe edito Lugduni Batav. M. DC. XCII. præmiſſa ita de Cicerone in uſum Delphini: *Sed,* inquit, *neque ullo genere adprobare poteram laborandi genus, quod Sereniſſimo Delphino ſuſtinent offerre Galli.*

Præ-

Præterquam enim quod nihil prorſus ad poliendum Ciceronem in locis etiamnum dubiis adferunt; tum illi, quibus iſte labor commendatus eſt, non videntur tales eſſe, ut ullos egregios, & ad hanc rem neceſſarios profectus in bonis ſtudiis collegiſſe ſint putandi. Ut verbo dicam; non Geographica, non Hiſtorica, non Latina ullo bono more illic adminiſtrantur. Nec opineris quidquam à me temere ad iniquam detrectationem dici. In promptu ea exhibentur per ſingulas paginas adfatim multa. Quære, Unde producant Æſchylum Cnidium; Ut Reate dicant Umbriæ Urbem; Ut Clitomachum faciant Calchedonium; Ut Sicyon ſtatuatur Urbs Peloponneſi in Græcia Corinthum inter & Athenas. *Ita crimine ab uno diſce omnes. Quin & in interpretandi modo regnat mera vanitas aut ignorantia; nec quale vel cujus nomen citetur, nec utrum Ciceronis verba an aliena & ſuppoſititia tractent, modo ipſis non diſpliceant, quidquam diſcriminis aut curæ habent.*

CAPUT II.

§. I. POſtquam ſemel atque iterum ſuperioris in inciſis Capitis, ſeptimo ſcilicet & ſexto, Cl. Hottingeri meminimus, placet hic in Lectoris gratiam ſubjicere epiſtolam nunquam antehac, quod ego ſciam, impreſſam doctiſſimi Theologi Jo. Henr. Heideggeri, quam de obitu Hottingeri ſcripſit ad ampliſſimos Academiæ Lugduno-Batavæ Dnn. Curatores, ſic ſe habentem:

Magnifici, Ampliſſimi, Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Viri.

“Non eſſe cogitationes DEI, cogitationes homi-
“num, nec vias DEI, vias hominum, poſt innume-
“ra

" ra experimenta docuit nos recens illud quidem, sed
" funestum, si quod aliud, & lugubre eheu! nimis
" subitum nimirum & flebile fatum, quo Deus re-
" rum nostrarum summus Arbiter, Coronam nobi-
" lissimam Ecclesiæ & Civitatis nostræ; Vestræ etiam,
" siquidem ita DEO cordi fuisset, Academiæ to-
" to orbe celeberrimæ futurum immortale decus &
" delicium, Virum omni exceptione majorem D.
" Joh. Henricum Hottingerum humanis cœtibus exe-
" mit. Equidem tam triste rei nuncium invitus pla-
" ne & cum horrore quodam porto: & abstinueram
" lubens, nisi Superiorum, qui referre putârunt, au-
" ctoritate ea mihi provincia, ut tragici hujus nego-
" tii series Vobis quantocyus panderetur, injuncta
" esset. Ex quo Amplissimi Senatus nostri Proceres
" post longam & anxiam deliberationem ardentissi-
" mis tum Vestris, tum Illustrium ac Præpotentium
" DD. Ordinum, Virum illum Clarissimum am-
" bientium, votis annuere decreverunt, mihique ejus
" in schola patria vices explendas imposuerunt: ni-
" hil quidem prius & antiquius habuit ὁ Μακαρίτης,
" quam ut vasa colligeret, & Deo in vota vocato, se-
" cundo ad vos Rheno, cum charissima familia de-
" flueret. Dici enim non potest, quam serio il-
" le & sancto desiderio flagraverat, tam illustrem,
" quam sortitus erat, spartam quamprimum capessen-
" di & pro virili sua exornandi. Jamque cœperat
" amicis valedicere, ne post acceptas Leida literas,
" quas præstolabatur ante meditatum discessum, mo-
" lestus ille circuitus remoram ullam injiceret. U-
" num supererat impedimentum, quod anxio pecto-
" re diu versaverat. Prædium nempe possederat dua-
" bus circiter à Civitate leucis, proxime Limagum
" nostrum situm, quod, cum absente familia com-

" modo suo coli & exerceri posse desperaret, No-
" bili Toparchæ vicino collocare instituerat. Igitur
" die quinto Junii decimam inter & undecimam an-
" temeridianam se commisit cymbæ juxta cum con-
" juge, duabus filiabus, filio & ancilla, comitante
" etiam Nobilissimo Schnebergero, nec non Rev.
" Dom. Adfine Freigio, propitio amne ad prædium
" descensurus, & Nobili illud Toparchæ honesta
" conditione collocaturus. Sed eheu! cum vix
" unius teli jactu navis à Civitate abesset, allisa palo,
" quem intumescentes aquæ texerunt, ut ab infelici
" nauta non observaretur, subito mersa navigantes
" omnes excussit; & eo quidem loco, quo fluvius
" rapidissimus, procellosus & vorticibus sinuosis re-
" fertus, quin & ab hominum conspectu remotus.
" Ipse quidem Clar. Hottingerus, nec non Adfinis
" Ven. & Nobilis, natando ad vadum eluctari jam
" videbantur extra discriminis aleam positi. Ve-
" rum cum & conjugem & optimos liberos in sum-
" mo vitæ periculo versari & misere jactari cerne-
" rent, nec exaudirentur periclitantium clamores,
" denuo fluvium, dextram iis porrecturi, petiêrunt.
" Eam operam dum navant Clar. Hottingerus & No-
" bilis Comes, sive adprehensi à liberis, sive vor-
" ticibus in transversum abrepti, denuo submersi sunt,
" & cum diu inter insultantes fluctus jactati nata-
" rent, tandem exhausti viribus, & ab adcurrenti-
" bus spiritum extremum ducentes utrique ex aquis
" extracti sunt. Conjunx, Affinis & ancilla, post-
" quam diu adhærentes cymbæ certârunt, & extrema
" jam necessitas incubuit, liberati sunt. Filia natu
" maxima & minima, nec non filiolus suavissimus,
" & verum delicium, eo fluvio hausti, animam
" Deo sospitatori reddiderunt. Atque ita, ut de re-
" liquis

" liquis nihil dicam, imprimis Nobili illo præcla-
" ræ ſpei viro, amiſimus virum, cum omnigena eru-
" ditione incomparabilem, ſeculi noſtri grande de-
" cus, tum ſingulari pietate, & incredibili candore
" paucis inferiorem. Non indignamur ferali Lima-
" go noſtro, qui DEI juſſa eſt exſecutus; at in-
" dignamur peccatis noſtris, quibus DEUS ad iram
" juſtam provocatus, juſtus ipſe ſcelerum vindex &
" ultor, nos beneficiorum in nos collatorum in-
" dignos contemptores, Viri tanti jactura punivit;
" atque gloria DEO tributa, id unice, & enixiſ-
" ſime deprecamur, ne miſerabilis hic caſus præſagus
" ſit majorum calamitatum, & funeſtiſſimi in Eccle-
" ſia & Repub. naufragii. Ut enim ſublatis co-
" lumnis, ædificii ruina; ſublato lumine, tenebræ;
" ſublato vitæ duce, errores; ſublato Imperatore,
" clades; ſublato gubernatore, naufragium: ſic
" ſublatis, divino judicio, ſpiritualibus hiſce co-
" lumnis, luminibus, Doctoribus, ducibus, guber-
" natoribus, civitatum populorumque ruinam, te-
" nebras, errores, diſſipationes, clades, naufragia
" animi corporiſque ut plurimum ſequi, rebus & ex-
" periundo eſt cognitum. Sed mala omina DEUS
" avertat, nec perficiat auguria, quæ ſunt in triſti
" multorum animo. Eumdem ardentiſsimis precibus
" oro, ut cum Eccleſiæ & ſcholæ noſtræ inflictum
" nimis alte vulnus clementer obliget; tum vobis
" etiam, Viri Magnifici & Ampliſsimi, ſalutaria con-
" ſilia inſpiret, quo non jam Clar. Hoornbeekio
" Theologo ſupra æthera noto, verum Hottingero,
" non tam noſtro ad extremum, quam veſtro, divi-
" næ providentiæ virgula, veſtraque adeo prudentia,
" ſucceſſor contingat ejuſmodi, qui vel anteceſſorum
" horum merita adæquet, vel certe, ſiquidem in ſe-
" cundis conſiſtat, ad ea omni majori ſtudio atque

« contentione enitatur. Simul etiam vobis Eccle-
« siam nostram, quæ medio hoc proxeneta, vinculo
« arctiori conglutinari vobis gestiebat, commenda-
« mus, & ut, per DEI gratiam, Vobis prospera &
« læta omnia eveniant, ex imis animi penetralibus
« precamur. Tiguri nono Junii, anno Æræ Dio-
« nysianæ M. DC. LXVII. Magnifico Amplissimo NN.
« VV. omni studio & fide deditissimus J. Henricus
« Heideggerus. SS Theol. D. & PP. *Inscriptio erat*:
« Magnificis, Nobilissimis & Amplissimis Viris, Aca-
« demiæ Lugduno-Batavæ DD. Curatoribus, Do-
« minis meis omni observantia colendis, Lugdunum
« Batavorum. Venit hic in mentem Jos. Scaligeri Epistola CXLII. Lib. II. p. 353. qua gratulatur his verbis Is. Casaubono: *Quas DEO Opt. Max. gratias agam pro tam insperato auxilio, quod pro sua inexhausta bonitate tibi impertitus est, quum in flumine Sequana tantum discrimen adiisti? Quantum me adfecerint literæ tuæ, quum hæc legerem, inde colligere potes, quod etiamnum ad memoriam rei inhorrescit animus mihi, quam misera fuisset tot capitum jactura cogitanti: quum quæ in morte tua sola fuisset, ei nulla comparanda sit. Sed DEUM iam propter Te eorum misertum est, quam Tui, propter omnes, qui literas colunt. Neque enim Tibi caris tuis orbato tranquillam, neque nobis Te ademto felicem vitam agere licuisset. Utinam σωτήρια de naufragio G. persolvendi tam justa caussa Tibi fuisset, quam merito ea DEO Opt. Max. debes, tam insigni periculo liberatus.* Memorabile vero est, quod Heideggerus idem in Hottingeri vita memorat, eum hunc ante casum somniâsse, se cum charissimo quodam Collegarum suorum in vicinam deambulâsse civitatem, cumque Templo adpropinquarent, Collegam alta sibi dixisse voce;
« Nunc impletum est Caput XIV. Jobi: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, multis repletur miseriis, quasi*

quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra. Hisque verbis auditis, Hottingerum esse expergefactum. Recordor hic Fridericum Brummerum, quem memorat Ægidius Menagius, cap. XVIII. p. m. 97. Amœnitatum Juris Civilis, edit. Paris. M. DC. LXXVII. in 8vo, Lipsiensem, magno Jurisprudentiæ damno, dum Gallia Italiam petebat, aquis submersum esse.

§. II. Cum nuper in Antonii Borremansii caput III. Var. Lect. libri incidissem, ibique p. 11. legissem, *accidisse aliquando, ut, cum Hugo Grotius ex auctoritate Illustrium ac Præpotentum Hollandiæ Ordinum aliquot militum cohortes lustrâsset, magno sane memoriæ summæ exemplo, statim non modo omnes milites nunquam sibi antea visos de facie noverit, sed & singulorum nomina absque hæsitatione tenuerit*; non admiratus fui, quandoquidem quod Nepos Cornelius scriptor elegantissimus dixit de Alcibiade VII. I. 1. & VII. II. 1. ego citra metuendam veritatis jacturam de Grotio usurpare possum: *In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Si enim ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna, vel natura tribuerat.* Sane de illius libris in litteris, Poësi, Critica, aliter, quam cum summa laude loqui, non est nisi eorum, qui litteras nec primis labiis gustaverunt. Interim tamen & venit in mentem, inter cetera humana, illam ipsam tantopere laudatam summum Virum quandoque fugisse memoriam. Ad Matth. XI. 21. scripserat: *adde quæ ad Lucam dicemus.* Evolve quæso L. B. Lucæ X. 13. hic enim est locus παράλληλος, & ne γρῦ quidem vel ad hoc, vel ad reliqua alia invenies commata. Quod, etsi leviculum, & vix nomine dignum, ostendit tamen nihil esse ex omni parte beatum.

§. III. Eruditos ut excitem viros, inquirere apud heredes, illosque monere, ne, si in pluteis habent,

ſeculo invideant Annales Suecicos à Grotio, ſi non abſolutos & perfectos, ſaltem inchoatos, adpono verba tertio è libro epiſtolarum Dionyſii Petavii, Ep. IX. p. 278. edit. Pariſinæ M. DC. LII. *Mihi cum Hugone Grotio (vellem τῶ μακαρίτῃ dicere poſſem) uſus aliquis interceſſit communione partus iſtarum artium ; & quod, ut bene nôſti,* (ſcribit autem Petavius hanc epiſtolam ad Franciſcum Cardinalem Barberinum,) *ſpes interim illius juvandi nonnulla in me ſita videbatur. Cum illo utique, uti ſæpe ipſum inviſebam, & viciſſim ille me, frequentes de litteris ſermones habui. Ac memini, me de illo frequenter audîſſe, cum diceret*; conſilium ſibi eſſe Suecicos Annales conſcribere ; *idque ſe jam diu commentari. Utrum vero opus illud abſolverit, an in Adverſariis tantum adparatus illius exſtet, certi nihil habeo. Eliciam tamen & expiſcabor, ſi quid potero ; poſtquam ejus uxor, quæ nunc Lutetiæ habitat, & ruſticandi cauſſa unum jam menſem abeſt, ad urbem reverterit. De lucubrationibus reliquis, quarum mentionem facit Holſtenius, nunc primum audire cœpi, nec ille quidquam mihi ſignificavit.* Si optandus iſte labor periit, cum eruditi Loccenii Hiſtoria Suecica damnum illud compenſare cogimur. Ceterum, qua mente dictus in Grotium Jeſuita fuerit, aperit ibidem idem Petavius Andreæ Schotto, Epiſt. XII. p. 284. his verbis: *Venit ad nos ante dies circiter octo Hugo Grotius, quem ego jamdudum & mea ſponte, & hortatu tuo convenire, & adloqui cupiebam. Factum utriuſque voto ac deſiderio ſatis illo die. Nam perdiu valdeque familiariter una fuimus. Homo eſt, quantum judicare poſſum, probus ac candidus ; nec ab Holſtenii* (is defecerat) *exemplo, quod & ſperas, alienus. Nos nihil prætermittemus, quod quidem præſtari à nobis poſſit, ut hominem Chriſto Domino, ac ſaluti conciliemus.* Ego hic & ubique oro, ab amicitia Jeſuitarum, ſerva me JESU !

§. IV. Si

§. IV. Si seculi nostri Varro, eruditissimus Jo. Ger. Vossius ipse inspexisset locum Aristotelis è sexto Metaphysic. cap. I. ubi ita Philosophus: ὥστε τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί· Μαθηματική, Φυσική, Θεολογική. *Quare tres utique erunt speculativæ philosophiæ; Mathematica, Physica, Theologica*: forte non tam fidenter sequutus fuisset Alexandrum Aphrodisiensem, pro *philosophiæ* nomine *disciplinam* ausu temerario reponentem in textu, & Aristoteli ac Peripateticis adfinxisset dogma, in de Philosophia opere, cap. V. & de scientiis Mathematicis, cap. III. §. 7. de quo ne somniando quidem cogitaverint. Nimirum Philosophiæ partem non debere statui Mathesin, cum ejus sit ministra. Sane superius citatis ex Aristotele verbis pro veritate rei & ad sententiam contrariam dici nil clarius poterat. Agnoscit illam sententiam Aristotelis, post Cl. Ptolemæum, initio μεγάλης συντάξεως, Vir elegantissime atque profunde doctus, Petrus Gassendus, de Philosoph. Univers. cap. IX. & lib. VIII. de Vit. & moribus Epicuri cap. I. etiamsi rem apud antiquos protritam fuisse dicat, Mathematicam non Philosophiæ partem esse; sed quadruplici suo membro accedentem ad Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, perficere Encyclopædiam. Quæ eo non adferimus, ut de hac hic disputemus controversia; id enim Michaël Waltherus omnem laudem supergressus fecit in Analectis Mathematicæ Philosophiæ Wittebergæ editis Anno CIↃ IↃC LXXIV. §. 19. sed ut ostendamus, quam parum etiam summorum virorum allegationibus credendum sit. Simile quid jam olim notavit in Sam. Bocharto Alcoranum adducente Jo. Vorstius in de Adagiis Novi Testam. cap. III. p. 17. Neque vitiis ab his libera sunt Francisci Sylvii Ambianatis Ciceroniana pro-

 gymnasmata,

gymnasmata, principio anno CIↃ IↃ XIV. post Amstelod. anno 1660 publicata, quibus proinde, in exemplis, circumspecte utendum. De auctore ipso id notamus, quod initio ad claustralem usque fœtorem barbarus scriptor istam deinde in scribendo elegantiam adquisiverit, ut & regulas ipse dederit. Vide Vavassor. de Epigramm. p. 256.

§. V. Quandoquidem vero hic duorum in illorum summorum Virorum, Grotii scil. & Vossii, mentionem incidimus; non ab re fore putamus, si de utroque Viri his non minoris Cl. Salmasii audiamus judicium ex epistola quadam ejus, quod ego sciam, hactenus inedita, qua in hæc sunt scripta:

"Cl. Salmasius Claudio Sarravio.
" Princeps tibi est Grotius, mihi Vossius. Uter no-
" strum verius judicet, non ego ad posteros eundum
" censeo, sed consulendos ætatis hujus summos Vi-
" ros, qui in Italia, Germania, & in his locis vivunt;
" imo etiam in Gallia nostra: nec omnes idem sen-
" tire crediderim, quod unum alterumve, aut tertium,
" aut Sarravium, Bignonium, aliumve aliquem,
" quem ignoro. De principatu agitur litterarum,
" quæ sic proprie vocantur, in quibus Grammatica
" Ars regnat. Ut ex ungue leo dignoscitur, ita Vir
" litteratus ex scriptis. Ex his ergo arbitrandum,
" cui debeatur, principatus, justius Vossione an
" Grotio? Sed priusquam hæc rependamus, per sin-
" gulas eamus scientias, ut, quantus in his fuerit
" Grotius, agnoscamus. In Theologicis nemo est,
" cui me minus similem videri velim. Ubique So-
" cinianus est, in libello de Veritate Religionis
" Christianæ, in notis ad Novum Test. & adnota-
" tionibus Veteris. In Philosophicis, si disputandi
" solertia spectetur, vix mediocribus par est: nec
" unquam

" unquam vidi, qui minore cum vi ratiocinetur; " id quod teſtantur ſcripta ejus, quibus Rivetus & " Mareſius reſcripſerunt. In ſtudio litterarum mul- " tos habet pares, & plurimos ſuperiores. In Græ- " ca & Latina pares, in Orientalibus ſuperiores. In " Jure quantum excelluerit, oſtendit ſparſio Florum " ad Jus Juſtinianæum. Librum ejus de Jure Belli " & Pacis refutandum ſuſcepit quidam Profeſſor Al- " bæ Juliæ, qui amicis aliquot, quos vidi, adfirma- " vit, ſe oſtenſurum eſſe, nullam paginam vacare " inſignibus erratis. In Poëſi Vir eſt ſui nominis " magnus. Sed omnes in his locis Barlæum præſe- " runt, multi etiam Heinſium: hic certe animoſior & " ποιητικώτερος: ſed Poëtica nihil facit ad princi- " patum litterarum. Voſſius in his ὅτι πᾶσι κεῖται " ſine controverſia præcellit. Nec meum hoc μο- " νόκειμα, ſed omnium doctorum Italorum, Ger- " manorum, Polonorum, & Belgarum, ut in litteris " multorum vidi, in ſcriptis plurimorum; & ex ſer- " monibus plurium collegi. Si ſcripta compare- " mus, nihil ſimile magnum cum iſto, cui non no- " men, ſed res magni elogium tribuit. Libri de " Græcis Scriptoribus, de Latinis, de Grammatica, " de Rhetorica, & Dialectica, ac nuper de vitiis La- " tini ſermonis, teſtantur, quantus ſit in litteris; ſed " omnium maxime declarant id libri ejus de Idolola- " tria, in quibus omnigena eruditio, non modio, nec " trimodio, ſed acervo congeſta eſt. Habet paratos " libros de re Deltica, Etymologicum magnum, & " alia infinita. Si de Antiquitate Eccleſiaſtica cer- " tamen ſit, Opus ejus de Pelagianiſmo, de Symbolis, " & alia pateſaciunt in ſcriptis Patrum eſſe verſatiſſi- " mum, nec de hac palma quempiam poſſe cum eo " contendere. Quid hic oppones in ſcriptis Gro-

" tii, per quæ possis ei principatum vindicare in hoc " genere, dico litterario ? an quæ notavit pene puer " in Martianum Capellam ? an quæ in Aratum ? Mul- " ta ibi nomina signorum Arabica proposuit ad " ostentationem, cum ejus linguæ rudimenta vix pri- " mis labiis attigisset, ut mihi ipse confessus est litte- " ris, quas servo, cum eum consuluissem de Arabica " aliqua voce, quæ mihi negotium facessebat. An " notas in Lucanum adferes ? Vel sola Critica Vossii, " quæ edidit in Fragmenta Tragicorum & Comico- " rum veterum, omnibus istis præponderare & præ- " valere videntur. Scimus etiam in Critica, quam " infelix fuerit & ἄστοχος Vir alioquin summus Gro- " tius. In hac mea tenuitate ac paupertina omnium " rerum supellectili nollem meum nomen adscri- " ptum esse Adnotatis in Vetus Test. Nihil his in " multis puerilius invenio, & tanto nomine in- " dignius. De Adnotatis ad Novum Test. alias di- " cam, & reipsa ostendam quid sentiam. Hæc mea " est de principatu litterarum sententia, in qua plu- " rimos habeo hujus vel suffragatores ex omnium " nationum eruditis: ubi plausores tuos proferes, " ego nominabo meos. Leydæ XX. Novemb. CIↃ. " IↃC XLV.

§. VI. Non tantum *non est opus*, quod maximum Daniæ ornamentum. Dn. Olaus Borrichius in Cogitationibus de variis Linguæ Latinæ ætatibus p. 353. putat, *tortare ex Nonio adserere*, sed ne debet quidem, cum Nonius plane non adgnoscat id verbum: *torto* enim ipsi est ablativus à *tortum* pro *tormentum*. Clara sunt ejus verba: *Torto* pro *tormento*. *Paccuv. Duloreste*

Nam te in tenebris sæpe lacerabo fame
Clausum, & fatigans artus torto distraham:

Adgnoscit

Adgnofcit & Doctiff. Obert. Gifanius Conlectan. in Lucret. p. 443. b.

§. VII. Vix oculis meis credidi, cum nuper in Andreæ Riveti Commentario in Genesin hæc se offerebant mihi: *Describitur* cap. XVII. *sanctio fœderis cum Abramo initi, per sacramentum Circumcisionis, anno ætatis Abrami* XCIX, *id est, undecim annis post natum Jischmaëlem, ut ex fine capitis præcedentis liquet.* Palam enim hæc cum Mose pugnant, qui comm. 24. & sequenti ita: *Et Abraham natus erat* XCIX. *annos, quum circumcideretur caro præputii ipsius; Jischmaël autem filius ipsius TREDECIM natus erat annos.* Rejicerem hæc Typographica inter sphalmata, nisi *undecim* expressis litteris haberetur in Riveto; nunc vero quid dicere habeam, haut invenio. Idem Rivetus in Comment. ad Gen. VI. 3. *Et erunt dies ejus centum & viginti anni,* tractans quæstionem, quorsum illi 120 anni sint referendi? putansque cum Mercero, Musculo & Paræo, quin & Pererio, hæc dicta fuisse annis 20 ante nativitatem Semi, sed per ὕστερον πρότερον, sive per anticipationem, figuram scripturæ admodum familiarem, præmissa fuisse iis, quæ sequuta sunt, quæque præcesserant reipsa, redeunte Mose ad ea, quæ fuerint omissa; tribuit hanc responsionem Augustino quoque, & quidem in lib. XV. de Civ. DEI, cap. XXIV. Tom. VI. Oper. col. 855. At si illum D. Rivetus inspexisset ipsum Augustinum, deprehendere potuisset, istum Sanctum non in ὑστερώσει narrationum Mosis solutionem quærere, sed in annorum quingentorum numero ætatis Noë. Est ad manus Augustinus, en verba ejus: *Quod autem dixit DEUS: erunt dies eorum centum viginti anni, non sic accipiendum est, quasi prænunciatum sit posthac homines centum viginti annos vivendo non transgredi, quum &*

& poſt diluvium etiam quingentos exceſſiſſe inveniamus; ſed intelligendum eſt, hoc DEUM dixiſſe, quum circa finem quingentorum annorum eſſet Noë, id eſt, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more ſuo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque ſignificans. Sexcenteſimo quippe anno vitæ Noæ, ſecundo menſe, factum eſt diluvium, ac ſic centum viginti anni prædicti ſunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluvio delerentur. E quibus quilibet de Riveti ſententia judicare poteſt.

§. VIII. Nactus non ita pridem Celeberrimi hujus Theologi manu quamdam exaratam, nec unquam, quod perſuaſum habeo, editam epiſtolam, ad Nobiliſſ. Academiæ Lugdunenſis Batav. Curatores, addo hic eam, tanti ne quid pereat Theologi, & ſimul ut, quanti Biſterſeldium is ſecerit, ſciamus.

" Salutem plurimam & obſequia,

" Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi Domi-
" ni. Præter alia incommoda, quibus me afficit Ca-
" tarrhus, quo vel affixus lecto, vel cubiculo inclu-
" ſus domi detineor per tres integras ſeptimanas, hoc
" mihi intempeſtivum accidit, quod non poſſum eo
" honore frui, ad quem dignati eſtis me invitare per
" Dom. Syndicum Leydenſem. Cogor itaque, per
" literas vobis gratias agere, & quia aliud pro tempo-
" re non poſſum, bene precari huic ſolemnitati, &
" omnibus ſtatutis & conſiliis veſtris pro Celeberrimæ
" Academiæ bono. Quod ego cum ceteris, quan-
" tum in me eſt, promovere & procurare debeo etiam
" abſens, & ſi aliqua ſe offerat occaſio, eam ſaltem in-
" dicare NN. & AA. Dignitatibus Veſtris, ut qui Aca-
" demiæ celebritatem indies auctam cupitis, etiam ad
" id iis inſtrumentis uti poſſitis, qui aliqua nominis
" & eruditionis fama in ea cluere poſſunt. Cum igi-
" tur intellexiſſem, D. Bodecherum ad aliud munus

" in

" in remota regione vocari, & vacaturam apud vos
" Professionem philosophicam; egi cum D. Syndico
" de Johanne Henrico Bisterfeldio, Viro sine contro-
" versia omnibus egregiis dotibus, sive in eruditione
" exquisita, sive in moribus & conversatione laudabi-
" li, instructo. Is ante octennium à Serenissimo
" tunc Transylvaniæ Principe Betlemo, cum Johanne
" Henrico Alstedio, & D. Piscatore accersitus fuit,
" ut Albæ Juliæ constituerent illustrem scholam pro
" Transylvanis & Hungaris. Partes ejus fuerunt Phi-
" losophiam docere, quod non solum fecit diligen-
" ter, & cum maximo fructu; sed etiam socerum Al-
" stedium juvit in Theologica Professione, Locos,
" quos vocant, Communes in privatis Collegiis ex-
" plicando. Nôrunt DD. Collegæ Theologi Ley-
" denses eum, jam tum, cum à nobis excessit, fuisse
" in tribus primariis Linguis excultissimum, & in
" omni Philosophiæ parte versatissimum. Notus
" etiam fuit de meliore nota D. Heinsio, D. L'Em-
" pereur, D. Golio, & aliis, ita, ut si testimoniis
" opus sit, non longe sit recurrendum. Talis est, ut
" verbo dicam, qui, quamvis pro modestia sua me-
" diocrem conditionem sit subiturus, possit tamen
" postea, si id Academiæ necessitas ferat, ad Profes-
" sionem Theologicam ex Philosophica promoveri.
" In Wetteravia natus est, parente ibi Ecclesiarum
" Superintendente, qui in Synodo Dordracena pie
" in Domino obdormivit. Præter Linguas erudito-
" rum Italicam, Gallicam, Belgicam, Anglicam, &
" Hungaricam optime callet. Librum scripsit accu-
" ratum * pro D. N. JESU CHRISTI divini-
" tate

* Utrum sequentia, quæ Martinus Ruarus ad Marinum Mersennum Centuria I. Epistolar. n. XLIX. p. 235. s. scripsit,

« tate vera & essentiali, adversus Crellium Socinia-
« num, quod specimen eruditionis & pietatis ejus
« misi censendum DD. Theologis Leydensibus. Quo
« vero sit animo in Belgium & Academiam vestram,
« quam cupiat hinc per aliquam vocationem libera-
« ri, quid etiam proponat, ne sumptibus gravet vo-
« cantes, verbis ipsius vobis innotescet ex epistola ad
« me scripta, quam vobis communicabit D. Syndi-
« cus. Si libuerit NN. & AA. Dignitatibus vestris
« ejus rationem habere, juvenis ille, qui octennium
« fuit ejus domesticus, paratus est excurrere ad eum
« accersendum. Is Leydæ nunc agit, & nomen ejus
« exstat in Epistola Bisterfeldii. Unum hoc since-
« re testor, etsi Virum illum amem, qui dignus est
« omnium bonorum favore, me nullo privato af-
« fectu duci; sed eo tantum, quod certus sim, eum ta-
« lem esse, qui Academiæ magnum futurus sit or-
« namentum. DEUS in eo negotio & aliis omni-
« bus consilia vestra & decreta dirigat ad sui nominis
« gloriam, Academiæ bonum, & vestrum omnium
« honorem. In quo voto desino, atque iterum vo-

---

scripsit, vera sint nec ne, non interpretor. Do hic in Lectoris gratiam tantum ejus verba: *De Calovio quidem affirmare tibi possum, illum in literis, quas ad me dedit, optare Bisterfeldii librum suppressum potius, quam editum; utpote cujus argumenta Cabalam potius Judaicam quam genuinam Theologiam sapere illi videantur, quique cum adversarium refutare debeat, thesin suam probet. Fieri potest, ut Bisterfeldius de Calovio non multo mitius judicet: nôsti enim illud, suam cuique sponsam videri pulcherrimam.* Mersennus tamen mitius in sequenti L. epistola ad Ruarum p. m. 238. de Calovio judicat his verbis: *Porro sum in ea sententia, post Socini libros nil in eo genere scriptum esse subtilius operibus Crellii, quem diutius vixisse fuisset operæ pretium, ut Bisterfeldio reposuisset, quo doctiorem in rebus Theologicis Calovium existimo.*

« bis

" bis gratias ago, meque vestris mandatis obsequen-
" tem, si mea opera utamini, sisto. Valete Viri No-
" biliss. Consultissimi, & perennate. Hagæ Comitis
" 7. Octobr. 1638. NN. AA. & CC. Dignitatibus
" Vestris addictissimus, Andreas Rivetus. *Inscriptio*:
" Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis Viris
" DD. Curatoribus Academiæ & Consulibus Rei-
" publ. Leydensis, Lugduni Batavorum.

§. IX. Addo Hugonis Grotii ad Simonem Episcopium epistolam, in magno Grotii epistolarum volumine, Amstelodami apud Blavios anno CIↃ IↃC LXXXVII. in fol. impresso, ceteris cum non paucis, quæ vel penes me sunt, omissam.

" Simoni Episcopio Hugo Grotius S. P. D.

" Vir Clarissime. Mitto tibi colloquium, quod Ca-
" meroni cum Tileno intercessit. Conjecit jam ali-
" quid in chartam Tilenus, scripturus, * ut mos ipsi,
" Latine & eleganter; sed ita, ut pleraque Camero-
" nis percurrat, aut prætercurrat. Velim duo illa,
" de determinatione judicii practici & de Christi vo-
" luntate, in tua, quam moliris, diatriba, obiter, sed
" quantum

* Succedit memoriæ quod de Tileno apud Johannem Cloppenburgium Theologum Lugdunensem olim legi, cujus in epistola, qua ad Calumnias Salmasianas ex parte respondetur, Lugduni Batav. 1640. excusa, p. 10. ita est: *Dicam libere me sic locutum cum duobus magnis Theologis, Melvinum dico & Tilenum; ita Latine doctis & Græce, ut ab illis viventibus olim potuerit requirere Salmasius, quod in Tertullianum commentaretur, qui negat jam Grammaticam à Theologis requiri debere.* Ad quæ Cl. Salmasius in Responsione ad Calumniatoriam, ut vocat, epistolam Joh. Cloppenburgii, eodem ibidem anno impressa, p. m. 15, 16. sequentia reponit:

" quantum satis sit, excuti. Id satis futurum puto; " neque multum esse causæ, cur de proposito respon- " sio instituatur, nisi tu libello viso aliter censeas. " Vale Vir doctissime, & D. Utenbogardum amicosque " alios saluta. Lutetiæ IX. Maij CIↃ IↃC. XXII. " Tuus H. Grotius.

§. X. Est inter cetera magnorum Virorum nostra in Bibliotheca adservata MSS. quædam Hadriani Junii (quo de mox pluribus) ad Filium brevis epistola, quam in eorum gratiam, talia qui scripta non parum ad Historiam illorum temporum facientia æstimare

---

ponit: *Addit, ne putemus sine auctoritate peccâsse se* Cloppenburgium, *cum duobus magnis Theologis Melvino & Tileno ita loquutum esse. Ut Græce illi & Latine docti fuerint, non puto tamen regulam rectæ Latinitatis ab his peti debere. Ne sincera quidem Theologia ab altero eorum normam exigi posse fatebitur mihi* Cloppenburgius, *quamvis maximus ille Theologus fuerit. Quod negavi Grammaticam à Theologo requiri debere, non arbitror in eo me peccâsse nec calumniatum esse. Si etiam Grammaticus erit Theologus, tanto melior futurus. Si non sit, nihilo deteriorem habebo in arte sua. Nec illud intelligo, quod dicit* Cloppenburgius: " Melvinum & Tilenum ita Latine doctos & Græce, " ut ab illis viventibus olim potuerit requirere Salma- " sius, quod in Tertullianum commentaretur. *Ubi aliquis hæc mihi explicaverit, tum respondebo.* Hæc Salmasius. Quantum Tileno Martinus Ruarus tribuat, aperit in ad Petrum Bertium epistola, quam habes dicti in Ruari centuria Epistolarum prima, n. XI. p. m. 78. In pagina vero 80. invenitur Bertii de Tileno judicium, quod inseruit epistolæ, qua respondit Ruaro, n. XII. In pagina 390. n. LXXX. legitur Samuelis Nærani de eo sententia. Johannis Cameronis vitam, ingenium, mores, virtutes, doctrinam, mortem eleganter describit Petrus Molinæus in judicio de Mosis Amyraldi adversus Fridericum Spanhemium libro p. m. 211. s. edit. Roterodamens. CIↃ IↃC XLIX. Vide quæ dixi in Parte II. Animadversionum mearum cap. II. §. VII.

mare ſciunt, adjiciam, & ſi non hac, ſaltem ea fini dictam ut epiſtolam ab interitu retraham.

Fili Chariſſ.

" Exhibui Illuſtriſſimo Principi ante horam libellum " ſupplicem, ut ſua auctoritate concedatur tibi libera " miſſio, ut ad me venias, idemque negotium egi " cum Conſule noſtro Kieſio, qui benigne reſpon- " dit, ſe daturum operam apud Collegas ſuos Conſu- " les, ut nomine Principis id fiat ſedulo, neque du- " bito quin ſim impetraturus. Tu quum venies, cu- " ra ut adferas meas ſchedas omnes * cum libris, quo- " rum catalogum miſeram, Dictionarium Friſii Lati- " no-Germanicum magnum, Ciceronis Opera, Cle- " mentem, Plutarchi Opera, Nonnum, Epigram- " mata Græca in 4to. Amati Luſitani centurias, No- " menclatorem, Adagia mea, De anno & menſibus " meum, adde huc duas aut tres pro me —— toti- " dem pro te, togam meam optimam holoreſico ſuf- " fultam, atque hæc omnia cum teſtimonio civitatis " munita: Miſi heri ad te 7ſt. per Hadr. Birckenro- " dium cum litteris. Uxor ſignificet quid velit, aut " quibus indigeat. Vale & ſaluta uxorem cum libe- " ris. X. Martii. Tuus pater Hadr. Junius. *Inſcri-* " *ptio.* Bonæ ſpei adoleſcenti Petro Junio, filio ca- " riſſimo. Harlemi.

---

* Confer omnino hujus Hadr. Junii Epiſtolas Dordrechti editas in 12. anno CIƆ IƆC (non IƆ. ut male impreſſum) LII, p. m. 39. ſ. ubi Petro Nannio (non *Namno* vitio Typographi) ſcripſit.

CAPUT III.

§. I. OPtime suarum partium ii præceptores satagunt, qui inter cetera illud quoque etiam atque etiam diligenter curant, ut copiam sibi pueri atque facultatem comparent vocabulorum rerum earum omnium, quæ in quotidiano versantur usu, quæque sensibus hominum sunt explicatæ. *Nihil videatur in corpore hominis,* (verba sunt in secunda classica epistola, seculi superioris & harum litterarum eximii decoris, Johannis Sturmii, cujus summi ac disertissimi viri opera, quæ varia edidit, digna certe sunt, quæ eloquentiæ studiosis ac Oratoriæ quam commendatissima sint) *nihil in pedibus, nihil sit in culina, in cella vinaria, in cella frumentaria : ad cænam quotidianam nihil adferatur, nihil in hortis conspiciatur herbarum, fruticum, arborum : nihil in scholis sit usurpatum, nihil in bibliotheca, nihil in templis frequentatum: nihil in cælo sensus quotidie hominum moveat, quod pueri, quoad ejus fieri poterit, non queant Latino nomine nominare.* Scilicet non postrema eruditionis pars est, nosse rerum vocabula & phrases. Negari autem nequaquam vel potest, vel debet, Hadrianum Junium Medicum olim Harlemium, doctrina & virtute præstantissimum primariam hoc in scriptionis genere palmam esse consecutum; huic enim usui, ut scilicet pueri simplices voces teneant, primum inserviet ejus Nomenclator, qui optime editus est in officina Plantiniana Antuerpiæ CIↃ IC LXXXIII. in 8vo (ita enim numerus ponendus est in Tomo I. Methodor. nostr. n. XVII. cap. VII. §. 8. p. 700.) tanta quidem cura, ut ipse nonnunquam cum opificibus compotaverit, quo

quo proprias instrumentorum adpellationes in lingua vernacula addisceret, si fides est habenda Paulo Colomesio Rupellensi in suis opusculis litterariis Ultrajecti apud Petr. Elzevir. anno 1669. editis, p. m. 131. s. Sane ex eo plerosque eum sequutos sua descripsisse, omnibus, qui ea inter se conferunt, manifestum est. Id quod nonnulli etiam doctissimi homines, palam & nominatim quidem profiteri non erubuerunt. Suggerit idem Nomenclator raras quoque & difficiles imprimis voces Græcas. Vide quæ pluribus dixi hoc de libro, Tomo II. Methodor. nostr. n. IV. cap. IV. §. V. p. 233.

§. II. Quandoquidem vero hæc naturæ indoles, nihil ut illa perficiat initio, sed sensim progressa ad summum deducat omnia, cum *nulla res*, scribente, sexto naturalium Quæstionum, Seneca, cap. V. *consummata est, dum incipit, & in omni negotio longe semper à perfecto fuere principia*; & Cicerone, in de Claris Oratoribus auctore, *nihil simul est & inventum & perfectum*: videre id cumprimis in artibus est, quarum exordia levia, processus melior, optima perfectio. Et vero comperimus id dicto in Nomenclatore, in quo nævi & defectus, mansere quamplurimi, qui in tanta litterarum luce nullo negotio potuissent tolli, si modo pædagogi & scholarum Rectores, qui toties ipsum edi curarunt, animum advertissent, vel scivissent emendare. Dixerat incomparabilis Jo. Fr. Gronovius in eruditissimo opere, librorumque suorum rege, de pecunia vetere p. 492. *Ridendum esse, quod scripsit Hadr. Junius, assis nomine hic censeri annum, menses* uncias. *Illa verba* cum *indignissima modestia Dn. Gronovii* proclamasset Exercitatione sacra XIX. §. IV. p. 515. Martinus Schoockius Ultrajectinus, quippe quæ *opponantur sententiæ τȣ πάνυ Dn. Hadr. Junii Batavi, viri, dum viveret, doctissimi, atque in scriptis suis accuratissimi*;

ratiſſimi; reſpondet eruditiſſimus Gronovius in p. 34, 35. ſ. de centeſimis Uſuris his verbis: *Manum de tabula: morum modeſtiæque magiſter adeſt citius, quam putaram. Sed libet interrogare parem M. Æmilio Scauro gravitatem: utrum nemo dominus Batavus, nemo, dum viveret, doctus, & accuratus in ſcriptis quidquam ridendum dixit? an ſi quis dominus Batavus, ſi quis, dum viveret, doctus & accuratus & ὁ πάνυ ridenda dixit, ne, ut dixit, vocentur, hujus eſt intercedere? Unde iſtos tam inamœnos & auſteros? unde hunc tam pædagogum? Aliquis de non triſtibus hominem, qui vetat ridere, jubebit plorare. At nos in Nomenclatore iſto non hoc ſolum riſimus. Ridebamus etiam, quum hoc ipſa in materia* ſortem nauticam & trajecticiam *legeremus explicari* portorium, & δάνειον ἀμφοτερόπλουν, *quod pro itu redituque in profectione perſolvitur*, ἑτερόπλουν, *quod alterutro vel abitu, vel recurſu numeratur: &, ne quis dubitet, Belgice* **Veer-gelt, Schiploon.** *Ridebamus, quum* Peculium adventitium, *quod alius alii concedit exercendum*, argent baillé pour trafiquer; *quum* Extar, æs theatricum: *quum* auctoramentum, quo accepto miles obligatur, cum dat nomen: *quum* Argentariam facere, uſuram exercere: *quum* conturbare, poſterioribus creditoribus ſatisfacere, præteritis veteribus: *quum* Profiteri Salluſtio intra legitimos dies, ſive conſtitutum judicio tempus pecunias perſolvere, vel bonorum ſummam in acta referre, ut inde creditoribus ſatisfiat, *quod ei* breviter eſt profiteri æs alienum. Seneca VI. de Benef. cap. XX. *quum* Daricum non à Dario Xerxis patre, ſed antiquiore Perſarum rege percuſſum: *quum* Chalcum ſextam oboli partem, *& tamen paullo poſt* τριτημόριον, Philemonis ſex chalcos: *quod qui eum docuit Pollux, idem docebat* τριτημόριον *vel*

vel τριτήμορον *duobus chalcis minus habere obolo, obolum octo chalcos: quum* Plinii verba multos torsisse; (*Libralis, unde etiam nunc libella dicitur & dipondius adpendebatur assis:*) eaque sic immutanda: (*Libra as, unde e. n. libella dicitur & dipondius adpendebat II. asses.*) *& ea occasione librarium oscitantem dare pœnas: quas debebat* ὁ πάνυ, *non videns scribendum & distinguendum:* (Librales, (unde etiam nunc libella dicitur & dipondius) adpendebantur asses:) *quum tot summas veteres male nostro nummo æstimatas. Hæc & infinita alia ridebamus: & tamen Hadr. Junium inter præcipua litterarum & patriæ ornamenta, hoc etiam ejus opus inter prima hujus generis ponimus. Nam quod interdum ridenda dixit, non domini, non Junii, non Batavi vitium est, sed hominis: & nemo fuit quantumvis studiis magnus, cui non aliquando ridenda exciderint. Non indignum modestia sua fecit Cato, quum Ciceronem ridiculum Consulem vocavit: & ob hoc dictum neuter cuiquam sano despicatior:* nec *desinunt esse ambo viri propemodum humanis majores: etsi quædam in utroque rideamus. Quod igitur tum ridendum censui, id nunc multo magis ridendum & exsibilandum autumo, quum, quod optimo illi & singulari viro imprudenti excidit, de industria defenditur. Nam si* annus *est* as, menses unciæ, *ergo assibus usuris nemo collocavit, nisi qui totum annum exspectavit: ergo deuncibus usuris nemo, qui non undecim menses sustinuit: dextantibus, nisi qui decem menses: dodrantibus, nisi novem, &c. Atqui perinde accipit asses, deunces, dextantes, dodrantes, &c. usuras, hoc est, centesimam, vel undecim, vel decem, vel novem uncias centesimæ, qui in triginta dies collocavit centesimis, deuncibus, dextantibus, dodrantibus, quam qui in annum collocavit iisdem vel quibusvis harum, accipit duodecim centesimas, duodecim undecimas, decimas, nonas centesimæ.* Hæc Gronov.

§. III. Illi ipsi Hadriano Junio in doctissimi Nomenclatoris cap. statim I. al. XXXII. *macrocolum* idem est ac *charta Claudia*; male. Nam hæc à *Claudio Cæsare* demum inventa, unde & nomen; at *macrocoli* meminit Cicero, XIII. Att. Ep. XXV. *Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impensam fecimus in macrocola, facile patior teneri.* Et lib. XVI. Att. Ep. III. *Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum & refectum. Hunc tu tralatum in macrocolum lege arcano convivis tuis.* Ac *chartæ regiæ*, quæ eadem est, mentio apud Catullum exstat, Epigr. XXII. 6.

Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Ubi Joann. Livinejus, Clara Levini Torrentii sorore natus, ad voces *chartæ regiæ*, i. e. *ornamenta librorum* adnotans, non satisfacit. Vide potius Adrian. Turneb. VII. Advers. cap. II. p. m. 102. ex eo enim & Joan. Corasii Tolosatis. I. Miscellaneor. Juris Civil. cap. XVIII. p. m. 54. edit. Lugd. M. D. LII. bonam partem capitis I. Nomenclatoris Juniani intelliges & explicabis. Eumdem cum Junio in errorem jam olim quoque impegit Perrottus, castigatus à Guilandino, commentario de papyro.

§. IV Idem vir doctus Junius *mantile* & *mappam* eo distinguit in Nomenclatore cap. LXXII. quod illo manus abstergantur, hæc etiam mensæ insternatur. At contra est, quia *mantile* etiam tegendæ mensæ serviebat, unde in colloquio primo Scholastico exponitur

ponitur ἐπιτραπέζιον. *mappa* vero, ſolis manibus tergendis parabatur : unde χειρόμακτρα Gloſſæ Philoxeni interpretantur. *Itaque convivator* (quod recte in Etymologici p. 310. v. *Mantile* eruditiſſimus notat Voſſius) *quidem* mantili *menſam ſternebat : at ſinguli convivæ ad convivia ſeu publica, ſeu privata ſuas* mappas *ferebant.* Clare hoc diſcrimen docet iſtud Martialis, lib. XII. Ep. XXXIX.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur :
Mantile è menſa ſurripit Hermogenes.

Mantile quidem dici fateor, quo exterguntur manus, ſed ante epulas. In epulis vero id *mappis* fieri ſolet. Hæc & plura alia emendanda ac corrigenda erant à Rectoribus & Scholarum Curatoribus, minimeque ferenda in tali libro, è quo juventus primordia Latinæ Linguæ doceri debet. Enimvero quæ ſemel in ætate prima vitioſe menti ſunt impreſſa, hærent fere tanta pertinacia, ut cura nulla omnino penituſque poſſint deleri. *Sunt mihi ipſi noti*, ait eruditiſſ. Joh. Schefferus, in eximia de generoſi nobiliſque informatione litteraria diſſertatione, Hamburgi M. DC. LXXXIII. publicata, à nobis vero II. Methodor. Tomo inſerta, n. IX. p. 447. *qui vitia ſermonis per hanc cauſſam contracta, etiam poſtquam didicerunt eſſe vitia, evitare nunquam ſatis, quantamcumque impenderent operam, potuerunt, recurrente ſubinde eo, quod in ætate prima prave fuerant edocti.* Ad minimum cogitur dediſcere juventus, quæ didicit perperam ex illo libro, id eſt, duplicem ſubire laborem, ex quo plerumque naſcitur tædium & odium litterarum. Et quoniam duæ poſteriores editiones, quarum altera Francofurti M. DC. XX. altera Genevæ prodiit anno M. DC. XXXIII. cura Hermanni Germbergii, multis modis Antuer-

piensi Plantiniana deteriores sunt, magnopere rogatos volo omnes intelligentes, præceptores, ac eruditos quibus inter legendum vocabula in mentem forte venient magis adposita, aut alia nonnulla, quæ in eo Nomenclatore recte addi, aut saltem in eo corrigi posse judicabunt, ut ea candide & amice cum discipulis suæ fidei commissis communicent, & sic aliam aliquanto propius ad perfectionem (si quid modo in rebus mortalium tale esse dici potest) accedentem editionem procurent. Non parum hûc faciet Nicodemi Frischlini, Philologi quondam celeberrimi, (de quo D. Chytræus scribit ad Monavium, quod *orationis Latinæ elegantiam, puritatem & Plautini ingenii specimen in theatra Germaniæ reduxerit*) nunquam satis deprædicandus Nomenclator trilinguis rarissimus, Francofurti apud Joan. Spies excusus, M. D. XCIV. Ex cujus aurea, quam omnibus legendam commendo, dedicatione, hæc in præsens excerpere juvat: *Sed nolim hæc à me ita intelligi, quasi ego perfectum opus in Nomenclatura proferam: aut quasi ego cornicis illius, Hadriani Junii oculos cupiam configere. Nam ut hujus viri Nomenclatorem cæteris omnibus, qui unquam prodiêre in lucem, longissime antepono: & vel solum dignum esse judico, qui in scholis legatur: ita meum hunc, quasi comitem quemdam Juniano Nomenclatori additum esse cupio. Meus enim hic aliis incedit passibus, quam Junianus.* Ceterum docta primæ à Junio nostro Nomenclatoris editioni de anno M. D. LXVI. præfixa, in ceteris vero, quæ ego quidem vidi subsequentibus illam exemplis omissa dedicatio vel epistola bene legitur inserta laudati Junii Dordraci editis epistolis in 12. p. m. 553. s. Schævius Nomenclatorem Mnemonicum edidit, quo Masculina nigro, Feminina & Neutra utroque charactere comparent. Cl. Morhofio commodius videtur verba nominibus suis

suis jungi eô, quô derivantur ordine, quod consilium quoque amplexus est in litterarum & eloquentiæ studio versatissimus Jo. Henr. Bœclerus in Methodo sua didactica & praxi.

§ V. Non paucis Jo. Amos. Comenii Januam probari video præceptoribus in locum Nomenclatoris, quam tamen adhibendam non facile suaserim, nisi optime à Barbarismis purgatam, quæ illic latent. Nam cum solum Comenius Calepinum Januæ suæ habeat auctorem fundumque, mirum non est, quod tot in eo barbara fœdaque occurrant, quot jam olim alii, & Cl. Schefferus quoque scriptô notavit peculiari. Ut haut dubie faciant rectissime, qui à lectione illius, quotquot Linguæ Latinæ purioris rectiorisque studiosi, summa cura dehortantur; utut etiam ipse repugnet Comenius, qui Apologiam sua pro Latinitate conscripsit in 4to. Vide quid de ea judicet Joh. Petr. Titius in Dissertationibus de quibusdam Adminiculis Linguæ Latinæ, præcipue Comenianis §. IX. Dantisci editis anno CIↃ IↃC LXIV. in 4to. Cujus è §. VI. hæc adscribo: *Nomenclatorum locupletiores ætatem aliam instruent, ex quibus Hadr. Junii & Nicod. Frischlini primas facile tenent. Juniani epitomen, sed eam satis prolixam,* Gemma Gemmarum *titulo edidit etiam Adamus Siberus. Legi ejusmodi libros utilissime, dubium non est. Sed & illud fatendum, cum verba nullis copulata sint nexibus, memoriæ eos mandari difficilius. Quamquam huic incommodo succurri aliqua possit, si inter recitandum ea teneatur ratio, ut jam ex Latinis adpellationes vernaculæ: jam ex his Latinæ à tironibus reposcantur. Nam illud tanto foret molestius, neque quidquam sane adferret utilitatis, si pensa integra, præsertim longiora, eôdem Vocum ordine, nullo memoriæ adminiculo, reddenda essent.*

§. VI. Commendantur studiosæ juventuti à Præceptoribus

ceptoribus haut mediocriter sibi sapere visis, & explicantur in privatis collegiis Joannis Rosini Isennacensis Antiquitates Romanæ, de iis quoniam in medio est accuratum incomparabilis Critici atque polyhistoris, maximi inter Germanos Viri Thomæ Reinesii judicium, nihil vetabit illud hic in gratiam tum discentium, tum docentium è lib. I. Variar. Lection. cap. XV. adponere, *Iste homo*, inquit, p. m. 15. edit. Altenburgens. M. DC. XL. *in quodvis opus condemnandus potius fuit, quam ad Romanas Antiquitates digerendas admittendus, adeo nihil sani ubique ferè docet, nisi cum auctores integros describit, & nihil de suo inculcat, quamprimum autem vel tantum excerpta dat, vel è suo penu aliquid, nugas blatit, & meras imperitias.* Si cui hoc aliquanto acrius videtur judicium, modestius habebit in præfatione Thomæ Dempsteri à Muresk Rosino præmissa. *Videram*; inquit, *Joannem Rosinum, transcriptionis sedulitate (hoc de eo doctorum quorumdam judicium) non contemnendum, aliquem in ordinem eam digessisse, & de ea* (Antiquitate Romana) *optime meritos posterioris seculi, nec rarenter ætatis nostræ Criticos ad verbum compilâsse, Onufrium, Manutium, Sigonium, Ciacconum,* (lege Petrum Ciacconium Toletanum) *Pitthæum,* (lege Petrum Pithœum) *Brodæum, Polletum, Cujacium, Brissonium, Hottomannum, Rævardum, Marlianum, Rhodiginum, Rivallium, Gruterum, Turnebum, Lipsium, Scaligerum, magna omnes Europæ ornamenta, quibus ego nominibus cum semper adsurgerem, aut à via discederem, nefas duxi, aut Rosini speciosam abolere Epigraphen, ne malignus aut invidus censerer, aut illustriorum scriptorum curas hinc eliminare; ne pessime juventutis profectui esset Consultum.* Mirum, quod Dempsterus Nicolaum Grucchium non addiderit; è cujus tribus de Comitiis populi Romani libris præcipua libri VI. descripsit Rosinus, quod sub initium dicti non

infitetur

infitetur ipſe libri. At quomodo & Dempſterus peccet uno atque altero probavimus exemplo Part. III. Methodor. noſtrar. n. I. cap. XVII. p. 47. ſ. 49. Cujus & de Hiſtoria Eccleſiaſtica Scotiæ diximus ibidem, n. XIII. p. 460. De utroque, Roſino & Dempſtero cenſet B. Henricus Kippingius in p. m. 10. Præfation. in Antiquitat. Roman. ita: *Gyraldos & Sigonios deſcribere nolui, contentus ita feciſſe Roſinum, quanquam nemo iſtorum à me neglectui habitus fuerit. Legi enim, fateor, ſed oneris inſtar duxerim, altera vice eoſdem relegere, adeo ſeſe diffundunt Nomenclatorum & Rhetorum more. Dempſterus ab ingenio deſtitutus haud erat, maximæ lectionis præſidio inſtructus, attamen melius operæ precium facturus, ſi non tam convaſare promiſcua, quam deligere eximia voluiſſet, itaque omiſſis triariis, ignobilem volonum aciem in campum educebat.* Joan. Nicolai in notis ſacris Philolog. ad Orationem Euchariſtic. Hafniæ edit. anno M. DC. XLVII. in 4to. p. m. 35. Roſinum vocat *virum variæ doctrinæ & multiplicis lectionis.*

§. VII. Anno CIↃ IↃC LVII, Londini opera Briani Waltoni prodierunt Biblia Πολύγλωττα Anglicana, in quibus Samaritanorum textus in Pentateucho una cum Hebræo pro authentico venditatur, additurque Verſio antiqua, diverſa Samaritana, nec non Græca LXX. interpretum, Chaldaica, Syriaca, Latina Vulgata, Arabica, Æthiopica, item & Perſica. Abſolvitur VI. Tomis. Primus Adparatum exhibet Chronologiæ Sacræ; Tractatuum variorum de nummis, ponderibus, menſuris, Idiotiſmis, Deſcriptionem terræ ſanctæ è Villalpando, & Prolegomena quædam Bibliorum. Tomo II. III. IV. V. exhibetur 1. Textus Hebræus cum punctis, nec non Græcus N. Teſt. addita interlineari verſione. 2. Pentateuchus Samaritanus & verſio Samaritana, & utriuſque

usque translatio Latina. 3. LXX. Interpretum versio è Codice MS. Vaticano cum collatione Codicis MS. Alexandrini. 4. Vetus Vulgata Latina è LXX. expressa. 5. Vulgata Latina Sixti & Clementis. 6. Chaldaicæ paraphrases ex opere Buxtorfii, ut & Targum Pentateuchi Hierosolymitanum, & Jonathaneum cum Latina interpretatione. 7. Psalterium, Canticum Canticorum, & Novum Testamentum Æthiopicum cum interpretatione Latina. 8. Evangelia Persica cum versione Latina. 9. Syriaca versio è variis MSS. 10. Arabica translatio. Tomus VI. adnotationes & collationes variorum exemplarium, antiquorum Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Samaritanorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabicorum, Ægyptiorum, Persicorum continet. Quia vero pleræque hæ versiones dubiæ sunt antiquitatis & auctoritatis, neque vim magnam probandi habent, opus illud magis splendidum & sumptuosum, quam necessarium judicant eruditi, caute adhæc legendum & usurpandum, cum nimium, ut adparet, Joanni Morino & Hugoni Grotio tribuat imprudens Waltonus, unde cum illo & textum sacrum, & litteras Hebræorum proprias Samaritanis vindicat, Grotiique varias, quas ipse cum Capello suo, commentus est, lectiones Textus Hebræi, pro veris & genuinis lectionibus diversis venditat. Quem errorem jam dudum interfecerunt Jo. Buxtorfius Theolog. & Linguæ Hebrææ in Academia Basileensi Professor in Tractatu de Punctorum Vocalium & Accentuum in Libris Veteris Testamenti Hebraicis Origine, Antiquitate & Authoritate, opposito Arcano Punctationis revelato Ludovici Capelli. Basil. anno M. DC. XLIIX. in quarto; & in Anticritica seu Vindiciis Veritatis Hebraicæ adversus Ludov. Capelli Criticam, quam vocat, sacram, ejusque defensionem, quibus

bus Sacrosanctæ Editionis Bibliorum Hebraicæ Auctoritas, integritas, & sinceritas à variis ejus strophis & sophismatis: quam plurima loca à temerariis Censuris, & Variarum Lectionum commentis vindicantur, simul etiam explicantur & illustrantur, Basil. 1653. in 4to. sicuti & Arnold. Bootius in epistola de Textus Hebraici Veteris Testam. certitudine & αὐθεντίᾳ ad Jacobum Usserium Archiepiscopum Armachanum, Paris. M. DC. L. impressa: & in Vindiciis, seu Apodixi Apologetica pro Hebraica veritate Paris. M. DC. LIII. Item Jo. Henr. Hottingerus Tigurinus in Thesauro Philolog. lib. I. cap. II. Q. IV. p. 204. s. Ut. & CL. Jo. Leusden Dissert. X. XI. XII. s. Philologi Hebræi, cumprimis vero incomparabilis Matthias Wasmuthus in doctissimis Vindiciis. Pentateuchum Samaritanum MM. annorum facit Waltonus, eumque non *esse ex Hebræo descriptum, Sole clarius demonstrare*, ait, *tot transpositiones, versuum repetitiones, aliasque discrepantias inter Textum Hebraicum & Samaritanum*, quarum Catalogus ultimo in Tomo Anglicano exhibetur. At perperam hinc diversitas lectionis in antiquissimis codicibus Hebraicis exsculpitur, quia nihil de auctoritate Samaritani Codicis, quem è tenebris se vanus jactitat eruisse Morinus, constat, nec fidem illi semigentiles merentur homines adversus populum DEI; cui credita fuerunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. III. 2. Sed ad Morinum Blesensem, congregationis Oratorii, ut vocant, Presbyterum, Samaritanorum Pentateuchum pro divino venditantem, & Hebraico Textui præferentem, veritatem Hebraicam mascule adseruerunt summi illi Hebraicæ veritatis vindices, Simeon de Muis Aurelianensis, sacrarum Hebræarumque litterarum apud Parisienses Professor olim regius, & Jo. Henr. Hottingerus,

tingerus, tunc Linguæ ſanctæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor Tigurinus, in Exercitationibns Anti-Morinianis Tiguri M. DC. XLIV. editis, raro venalibus; & in Analectis, Diſſert. II. p. 124. ſ. Adde, ſi habes, elegantiſſim. Cl. Dn. Tentzelii Diſſertation. de Bibliis Polyglottis.

§. VIII. Bibliothecam Fratrum Polonorum, VI. Voluminibus conſtantem, & ut ferunt, à Franciſco Cuypero, miſerabili ante triennium Rotterodami morte pereunte, percuſſo ſcil. à molæ, quæ ventorum flatibus agitatur, ala; Amſtelodami 1656. curatam, qui cognovit, non facile emet, cum commodum ex ea redundans ſumptibus parum reſpondeat, ſi enim à Schlichtingii & Crellii commentariis Biblicis non adeo magnis diſceſſeris, oppido pauca in ea invenies, quæ te juvare poſſint. Multum illa reperitur in Bibliothecis non tam doctorum Socinianorum, quam plebeiorum, indoctorum & Linguæ Latinæ expertium fere, hi enim ut libros oſtendere poſſint, & ne nihil intelligere videantur, emunt illam, ut parvam Bibliothecam & ornamentum cameræ; non in ſtudium, ſed in ſpectaculum, ut ait Seneca, de Tranquill. animi, cap. IX. Qui ſapiunt, priores ſibi comparant, aut ſi jam tum habent, retinent, peculiarium ſeparatim editorum Racoviæ, aut alibi, Socini, Smalcii, Crellii, Schlichtingii &c. tractatuum editiones ut integriores & correctiores, quamvis nec illæ ipſæ omnibus à mendis liberæ ſint.

§. IX. Quicumque Theologiæ ſtudioſus, aut Paſtor, vel ſaltem de uno, ſuper unumquemque librum Biblicum, docto ac ſolido ſibi proſpexit interprete facile Matth. Poli Synopſi Criticorum IV. Volumin. principio M. DC. LXIX. Londini, poſtea, non tamen æque bene, V. Volum. Ultrajecti & Francofurti excuſa

cuſa carere poterit. Notæ illo in opere ſæpe ſunt nullæ, breves, ſine judicio ex aliis excerptæ, (quia forte aliæ non erant ad manus, & tamen numerus erat complendus) minimeque perpetuæ in ſingulos verſus & verba, quas ego in interprete maxime attendo. Hinc & non raro, multos ſe locos, quorum explicationes deſiderant, evolvere fruſtra ſtudioſi conqueruntur. Sane qui librum Biblicum, vel auctorem, carptim exponunt, & ex eo mox hoc, mox illud ſeligentes, plurima prætereunt, comparari plane cum iis nequeunt, qui verbatim textum explicant, commentarioque perpetuo, ne minimam quidem Particulam relinquentes, illuſtrant: Faciunt hoc plerumque Mercerus, Jo. Gerhardus, Rivetus, uterque Tarnovius, Paullus & Johannes, Abraham Calovius, Sanctius, Lorinus, Eſtius, Gejerus, Coccejus, Auguſtus Varenius, & qui omnes fere ſuperat, ſolidiſſimus Sebaſtianus Schmidius. Horum Commentaria habens nunquam fruſtra quæret, nec temporis, nec pretii jacturam faciet; ad ſelecta vero qui ſcripſerunt dicta tantum utilitatis non præbent, quin non raro qui à ſummis viris doceri cupimus, vacui & inanes dimittimur; quod tamen minime eo ſcribo, ac ſi hos præ illis contemnam auctores, ſcio enim in minori quanto quandoque eſſe majus quale, ſed ut ſtudioſis utiliſſimos parabiliſſimoſque commendem libros. Legi hic meret Dorothei Sicuri Prudentia Theologica §. 33. p. 47. ſ. Amſtelod. CIↃ IↃC LXXXIV. edita: Adpono non vanum doctiſſimi & ſummi viri Marci Meibomii de Polo judicium quod in extremo præfationis ſecundo ſpecimini præmiſſæ his verbis tulit: *Videamus nunc de Matthæi Poli Synopſi Criticorum, in qua illa Salazari explicatio* (loci Prov. XVII.) *recenſetur. Ex inſtituto nihil monet de variis illis interpretationibus & explicationibus, veræne ſint, an falſæ. Nec*

tamen opinandum est, manifeste falsas eum inserere voluisse. Hanc igitur Salazari, & innumeras alias, falsas ac frivolas esse ignoravit. Neque enim ea eruditione, ac judicandi facultate præditus fuit, ut discerneret, ac judicium de iis interponeret. Quid ergo facturos eos credimus, qui minori etiam eruditione quam Polus instructi, ea Synopsi utentur? Certe idem, quod sermonis hujus auctor. Eligent sententiam ex iis quas Polus multas ad difficilia loca collegit, opinando, cum nullas improbarit, omnes recipi posse; conandum esse, ut excogitatis rationibus stabiliantur. Unde infinita frivolarum homiliarum seges, ex tam larga Synopseos Criticorum sementi, orbi Christiano brevi surget. Perniciosus igitur vulgo concionatorum usus est Synopseos Criticorum, nisi dispunctionum tomus, præsertim in Vetus Test. brevi edatur. Quod certe auxilium, & beneficium ab Ecclesiæ Anglicanæ Antistitibus flagitant Sacræ Litteræ. Præterea promiscuus Synopseos illius usus etiam pagorum ministros instruet, ut Targum Onkeli & Jonathanis, & sesquipedalia Rabbinorum vocabula, subinde homiliis suis inferciant; & præter LXX. Aquilam quoque, & Symmachum, ac Theodotionem crepent. Quæ omnia cum antehac cathedraticis duntaxat doctoribus, tanquam mysteria, paterent; nunc vulgo, & ambitiosis juvenibus, exposita sunt. Quid ergo, dicet aliquis, nullamne tam immensi operis utilitatem reperis? Nullam equidem aliam reperio, quam quæ ex largissimo Indice percipiatur, præsertim quod ad Vet. Test. attinet. Scire enim curiosus inquisitor pauca lectione poterit, quænam plerorumque commentatorum & interpretum, de difficili loco sententia sit. Nam qui rationes auctorum cognoscere volet, cur ita verterint, aut explicarint, integra eorum commentaria adibit. Synopsin enim duntaxat dedit Polus. Ossa plerumque, carne plenioris explicationis, & nervis rationum, nudata.
Hæc Meibomius, de quo ita B. D. noster Christianus Noldius summus in regia Hafniensi Academia Theologus

Theologus in Adnotationibus & Vindiciis utilissimis & nunquam satis laudandis Particularum Ebræo-Chaldaicarum Concordantiis subjunctis, p. 1056. b. *In doctißimi Meibomii grata multa sunt* Speciminibus: *&* *quod* Præfat. Specim. II. *tucatur* τὸ וקר & frigidus (*h. e. mansuetus*) spiritu. *Proverb. XVI.* 27. *contra* יקר *falsum* Keri *Masorethicum. Sed* באשרי *Gen. XXX.* 13. *non potest esse pro* בא אשרי, *de quo supra. Et quam voluissem, ut non lectionem hanc* corruptam *adpellasset! contra analogiam punctationis, contra genus Grammaticum, contra fidem tot Codicum jam à ter mille annis. Sat turbarum ab aliis,* Corruptione Fontium. *Reverenter & absque injuria tractemus illa studia: Profanæ chartæ patiuntur tales operas: divinæ non patiuntur neque opus habent.* Hactenus Noldius.

§. X. Porro prædictum haut semper optima fide auctorum adducere Polum sententias, etsi forte pluribus ostendere possemus, in præsentia tamen satis erit unum, exempli gratia, proferre locum, ne de eodem enumerando plura lectores fatigemus. In loco Rom. V. 1. utrum ἔχομεν per ο, an ἔχωμεν per ω legendum sit, non convenit inter interpretes. Guilielmus Estius suæ Theologiæ Doctor, & in Academia Duacena primarius Professor, ejusdemque Universitatis Cancellarius in Comment. h. l. p. m. 52. b. edit. Parisinæ M. DC. LIII. non negat, Commentarium Ambrosio adscriptum pro lectione ἔχομεν *habemus* facere. Ex opposito Matthæus Polus in Synopsi Criticor. hunc ad locum Volum. V. f. 98. Edit. Ultraject. CIƆ IƆC LXXXVI. Estio pro vulgata quasi Pontificiorum lectione *habeamus* ἔχομεν Tertullianum adducat & Ambrosium adscribere non est veritus, cum diserte utrumque pro altera, ἔχομεν, quæ & nostra est, adferat. Do Estii verba: *Pro ver-*

bo, habeamus, *in plerisque Græcis Codicibus est* ἔχομεν habemus. *Et ita Tertullianus* (lege *Tertullianum*) *legisse, arguunt hæc ejus verba lib. V. adversus Marcionem* cap. XIII. Monet (*Paulus*) justificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem habere. *Quod & à viro doctissimo Jacobo Pamelio in suis ad eum locum scholiis observatum est. Nec obscure pro ea lectione facit Commentarius Ambrosio adscriptus. Addo me quoque in quodam MSS. Latino legisse*, Habemus. Sic Estius satis clare. Non diffitemur quidem in Operum editione qua utimur, Ambrosii, Basileensi de anno M. D. XXVII. *habeamus* excusum esse, tum in expositione hujus loci Tomo Operum quarto f. 783. A. tum in secundo de Vocatione Gentium libro, cap. V. f. 35. B. At & scimus Adamum Contzenium Jesuitam, eumdem illum Ambrosii è de Vocatione Gentium libro locum pro ἔχομεν *habemus* adlegare in Commentar. h. l. p. m. 227. a. edit. Colon. anno M. DC. XXXIX. ut Ambrosii Codices & editiones hic discrepare negari non possit. Ad Tertullianum quod attinet, de eo nos ita docet Pamelius in Adnotationibus ad libr. I. Tertull. adv. Marcion. cap. XIII. fol. 618. *In his verbis initio capitis V. Epistolæ ad Romanos legit Autor* ἔχομεν, *id est*, habemus, *pro eo, quod alii* ἔχωμεν, habeamus. Recte! Sic enim Tertullianus, fol. 601. edit. Rigalt. *Monet, justificatos ex fide Christi, non ex lege pacem ad Deum habere. Ad quem? Cujus nunquam fuimus hostes, an cujus legi & naturæ rebellavimus? nam si in eum competit pax, cum quo fuit bellum, ei & justificabimur, & ejus erit Christus, ex cujus fide justicabimur, ad cujus pacem competit redigi hostes ejus aliquando*: Ceterum de sententia Excellent. Dn. D. Jo. Benedicti Carpzovii laudandus est Estii candor minime dissimulantis, se quoque in MS. quodam Bibliorum Latino

Latino legisse *habemus*, videturque ad lectionem ἔχομεν inclinare, atque cum vulgata hodie trita conciliare potius quam rejicere eam, ut ut tandem de reconciliatorum pace, contra adsertam Orthodoxorum certitudinem infallibilem, cautionem non tolerandam adnectat. Vide & D. Jac. Welleri Adnotationes eruditas in h. l. p. m. 316. edit. Brunvicens. anno M. DC. LIV. Optime noster Joach. Camerarius Pabepergensis in Comment. h. l. m. p. 56. a. Edit. Cantabrig. M. DC. XLII. εἰρήνην ἔχομεν *concordans scriptura est librorum, & sententia præclara,* justificati fide, pacem habemus ad Deum. *Id est, justitia, quæ non ex aliquo operum nostrorum merito exsistit, neque oritur ex nobis, sed contingit fide, pacificatrix est, reddens nobis propitium & clementem & benevolentem Deum propter Dominum nostrum Jesum Christum. Quam sententiam mutato modo legentes,* ἔχωμεν, *& alienis declamationibus aliqui corruperunt. Plane autem docet Paulus totum opus justificationis esse meriti & sanguinis Christi, & ita nobis patefieri accessionem ad gratiam æterni Dei, ita & Ephesiis* cap. III. 12. *scribit,* ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει. *Et inferius,* τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. *In libris Latinis est,* gloriæ filiorum Dei. Hæc ille. Jo. Calvinus, Ægid. Hunnius, Matthias Flacius, David Rungius, Theod. Beza, Dan. Tossanus, Ben. Aretius, Dan. Heinsius, Erasmus, Schmidius, Joan. Camero in Myrothecio, Alexander Morus, & Christ. Chemnitius in Notis plane non: Georg. Mylius, Bucerus, Wolfg. Musculus, Frider. Balduinus & Jo. Coccejus paucis κρίσιν hujus vocabuli attigerunt. E re erit audire nostrum Roterodamum Erasmum, cujus in Adnotationibus p. m. 363. hæc leguntur in h. l. *In plerisque Græco-*

rum Codicibus scriptum habetur ἔχομεν, *in aliis variat scriptura : Velut apud Theophylactum contextus habet* ἔχομεν *habemus, enarratio* ἔχωμεν *habeamus. Apud Chrysostomum contextus habet* ἔχωμεν *habeamus, atque item commentarium, sed hoc incuria librariorum fuisse commissum subindicat illud quod sequitur* τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἔτι ἁμαρτάνομεν, *id est, non amplius peccamus, ubi reliquit omicron. Jam haud scio an primæ personæ* τῶν αὐτοπαθητικῶν *congruant cum indicativis, quemadmodum secundæ* ἔχομεν ἔχετε. *Quod ut donemus, sensus hic non patitur imperandi modum. Si quidem Apostolus loquitur hic de justificatis perfidem qui jam pacem habent cum deo : quos si voluisset deterrere à peccando ne pacem acceptam amitterent, dixisset aptius* τηρῶμεν *quam* ἔχωμεν. *Non enim hic monet justificatos, sed gratulatur illorum felicitati, quod non ex suis meritis, sed ex gratuita dei benignitate liberati sint à peccatis, eique reconciliati, quem prius habebant insensum. Huic sensui respondent ea quæ sequuntur, de fiducia accessus ad deum, de spe gloriæ filiorum dei, quæ perseverat & in afflictionibus hujus mundi, de charitate dei, qui morte unigeniti sibi reconciliavit mundum. Constat Ambrosium legisse habemus, non habeaмus, arguunt hæc verba. Pacem, inquit, habere cum deo fides facit, non lex. Hæc enim nos deo reconciliat sublatis peccatis, quæ nos deo fecerant inimicos : & quia dominus Jesus hujus gratiæ minister est, per ipsum pacificati sumus deo &c. Apud Origenem in contextu legimus habemus, itidem repetit in commentariis, si diaboli arma projecimus & signum Christi & crucis ejus vexilla suscepimus, pacem utique habemus ad deum : & huic lectioni respondet enarratio. Apertißime enim, inquit, per hæc quæ intellexit, quid sit ex fide, & non ex operibus justificari, ad pacem dei, quæ exuperat omnem sensum, in qua & summa per-*
fectionis

fectionis consistit, invitat. Hactenus Origenes. Sic qui vitæ monasticæ tranquillitatem, qui virginitatis laudes prædicat, invitat ad hoc vitæ genus eos qui nondum amplexi sunt. Sequitur apud eumdem Origenem, cum essemus, inquit, inimici dei, reconciliati sumus deo &c. Ostendit autem Origenes consequens esse, ut qui gratis deo reconciliatus est, non amplius cogitet ea quæ sunt inimica deo. Nec mirum si post sub sua persona loquens vertit indicativum modum in imperativum, habeamus pacem, non sit in nobis est & non. Ad hanc igitur exhortationem non est opus verbo imperandi, sed ipsa res hortatur, ne semel liberati à peccatis deoque reconciliati relabamur in ea, quæ dirimunt amicitiam inter deum & homines. Hac ratione constant & ea quæ scribit Chrysostomus, & ab hoc sua mutuatus Theophylactus. Hoc autem admonendi genus magis congruit Paulinæ modestiæ ac civilitati. Nec ille tropus est infrequens ut hoc fieri dicamus, quod debere fieri volumus intelligi, ut illud, Qui ex deo natus est non peccat, & mater non potest odisse filium, princeps omnia metitur Reip. commodis. Hæc ita disserui, ut alteram tamen lectionem non omnino damnem. Potest enim hic sermo pertinere ad baptizatos adhuc imbecilles spiritu & subinde recidentes in peccatum, ut Apostolus quo mitigaret admonitionem, suam admiscuerit personam. Juvat & adjicere, quæ scripsit in Commentario hunc in locum doctissimo D. Petrus Martyr Vermilius Florentinus, Professor olim divinarum literarum in schola Tigurina. *Sunt nonnulli,* inquit in p. 128. edit. Heidelbergensis anni CIƆ IƆC XIII. *qui pro* ὄμικρον ὠμέγα *substituant, & pro* ἔχομεν, *legant* ἔχωμεν, *hoc est, habeamus pacem: quasi Paulus, postquam de dogmate fidei monuerit, nunc agat de vitæ sinceritate, atque contendat, ut Romani charitate, & mutua benevolentia sese invicem prosequantur. Et Origenes videtur concedere in hanc sententiam: sed Chry-*

ſoſtomus apertiſsime. Is enim duplicem aſſert expoſitionem. Unam, quum ſimus juſtificati ex fide, reliquum eſſe, ut contentiones faceſſant & homines inter ſe pacem colant. Id autem volunt Paulum ideo dixiſſe, quod eſſent nonnulli, qui contenderent legem revocandam eſſe, quaſi ad ſalutem neceſſariam. Paulum vero oſtendere id nihil eſſe opus, quum juſtificati ſimus fide. Alteram, ut charitatem exerceamus, neque peccemus. Verum hæc ſententia ſalvo ſcopo hujus loci, & ſalvis Apoſtoli verbis, non conſiſtit. Quia videmus hic agi per epilogum de concluſione, quæ infertur ex illis, quæ prædicta ſunt. Deinde pax, de qua Apoſtolus loquitur, non eſt ea, quam habent homines inter ſe. Significanter enim ait, Erga Deum: & ea, quæ ſequuntur, videmus efferri per modum indicativum. Ait enim, Per quem habuimus acceſsum per gratiam iſtam, in qua ſtetimus. Sed Chryſoſtomus in eo etiam aberravit, cum interroget, num ſine peccato eſſe poſsimus, cum juſtificationem jam habeamus, & ſibi reſpondeat, id eſſe facile. Quoniam, inquit, difficilius fuit, ut qui tam gravibus peccatis eramus obnoxii, ab illis eriperemur, quam ut juſtificati peccata caveremus. Longe enim, inquit, majus eſt, adipiſci ea, quæ non habemus, quam ea tueri, quæ adepti jam ſimus. Verum ante oſtendimus, id, dum hic vivimus, non eſſe ſperandum, ut prorſus peccato careamus. Quod ſi quis contendat, id per Dei potentiam poſſe fieri, nihil refragamur. Poſſet enim Deus hominem ornare tanta gratia, ut viveret omnino abſque peccato. Sed nos loquimur juxta ſententiam ſcripturarum, ut res ipſa habet, utque experientia ſemper evenire docet. Si dixerimus, inquit Johannes, nos peccatum non habere, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et Hieronymus adverſus Pelagianos ridet eam potentiam, quæ neque habeat, neque habuerit, neque habitura unquam ſit exequutionem. Ambroſius nobiſcum facit, & aperte locum hunc interpretatur de pace conſcientiæ, quam habemus erga Deum. Imo

confert

confert in hoc Fidem & Legem: Fidemque Legi præstare dicit, quod pacem facit, quam Lex præstare non possit. Quamquam sive per ο, sive per ω scribas, hoc est, sive ἔχομεν, sive ἔχωμεν legas, expositio nostra locum habet. Nam Apostolus vel dicit, eam pacem nos jam habere, vel hortatur, ut eam habeamus, neque amplius, ut antea, Deum fugiamus. Sed multis partibus potior est lectio recepta per ὀμικρον. Addo & Davidis Parei S. Litterarum olim in antiquissima Academia Archi-Palatina Heidelbergensi Doctoris & Professoris primarii verba ex hunc in locum commentario, exstante parte Tomi primi tertia Operum ejus Theologicorum Exegeticorum Francofurti impress. M. DC. XLVII. *Vetus Latina*: Habeamus pacem ἔχωμεν, *quasi sit hortatio ad concordiam, unde Papistæ* (Dionys. Carthusianus hic) *totum locum pervertunt, sic exponendo*: Postquam Apostolus abstulit caussam atque materiam discordiæ Romanorum: jam eos invitat ad veram pacem, & ait: Justificati ergo, id est, justi à DEO effecti ex fide, id est, per fidei formatæ infusionem pacem habeamus ad DEUM, id est, DEO humiliter subditi simus. *Priores corruptelæ supra sunt refutatæ. Posteriori videtur favere Origenes, item Chrysostomus, qui refert quorumdam expositionem de ea pace, quam justificati fide mutuo inter se habere debent. Sed hanc non probat. Exponit vero de pace, quam servare debemus cum DEO, vitando peccata, quæ nos à DEO seungunt,* lege *sejungunt.* (cetera quæ sequuntur, *Verum enim vero peccata quæ nos à DEO sejungunt,* sine dubio sunt superflua, mendosa & ab errante Typographi manu.) *Verum enim vero exempla Græca constanter habent ἔχομεν habemus adsertive, non imperative: & sic etiam legit Ambrosius.* Georgium Weinrichium in præsentia non ad manus habens, subnectam

nectam magnum Doctorem nostrum Jo. Gerhardum, cujus verba in ad hunc locum notis hæc sunt. "Observa, Apostolum non dicere ἔχωμεν εἰρήνην, in "forma optandi, vel exhortandi: sed ἔχομεν in forma asseverandi. *Justificatos pacem habere* dicit, non "ut pacem habeant vel sectentur, eos exhortatur. "Consolari voluit, non exhortari. Syrus habet "futurum ܢܗܘܐ (יְהֵוֵא) *erit nobis pax*, quod pos"set quidem pro conjunctivo positum accipi, sed ex "textu Græco manifestum, quod pro indicativo ac"cipiendum sit.

CAPUT IV.

§. I. SI Cornelius Cornelii à Lapide Jesuita primo Lovaniensis, postea Romanus aniles è Legenda ferrea, lurido Surio, & ceteris hujus generis futilibus & ridiculis scriptoribus excerptas fabulas, ad dementandam stolidam plebeculam & perterrendos pueros confictas omisisset, ipsi *perspicuitatis & nervositatis laudem* à celeberrimo Dn. D. Mich. Walthero in Officinæ Biblicæ repositor. poster. §. 580. p. 440. tributam, non invideremus. Merico certe Casaubono in p. m. 51. edit. Londin. (nostram enim editionem, quam in præsentia curamus, Typographus nondum eousque profligavit, paginam ut addere possimus) anno 1647. in 12. Diatribæ de Verborum usu & accuratæ eorum cognitionis utilitate, *Corn. à Lapide Vir doctissimus & diligentissimus est.* At quod ille à Lapide de seipso projicit in Præfatione Commentarii in Proverbia, se *omnes omnium sacrorum librorum interpretes evolvisse, quin etiam*

etiam è Patribus omnibus Græcis, Syris, Latinis Scholasticis ceterisque claßicis auctoribus loca S. Scripturæ sparsim ab iis pertractata, studiose collegisse, mihi non persuadet, nec opera ipsius probant. *Audimus molæ strepitum* (Arabum elegans est in nugipolyloquidas, ut cum Plauto è Perf. IV. VI. 21. dicam, proverbium) *sed ubi farina*? Jesuitis major famæ sitis est, quam virtutis & veritatis. *Hi sibi soli sapere, sibi bene vivere, Jesumque ac incolas cælestes propius insequi & comitari videntur*, ut de arrogantia hac Jesuitarum penitus diabolica Benedictus Arias Montanus, *spectatißimæ*, judicio Scioppii in Infamia Famiani p. 110. *pietatis ac virtutis Vir* conqueritur in Bibliis antuerpiensibus. Hinc & nota sunt, ac ab Alphonso de Vargas jamdudum citata Jacobi Kelleri verba: *Societas plus ceteris religionibus laborat. In ceteris ordinibus non adeo prompti, felices ac periti animorum medici reperiuntur. Apostolici gregis pastoribus non est de aliis vineæ operariis prospiciendum, ubi Jesuitarum viget sanguis, ardor, ac pietas, quorum studia & sudores nemo facile æquare potest; ac propterea Societatis privilegia augere magis oportet, in quam convenit, quod Sauli regi de Davide dictum fuit: quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua*? Quis, nisi prudens, his hominibus de se tam egregie testantibus non crederet? Memoria recolere deberent hi impostores, tritum illud: *propria laus sordet*, at dependere didicerunt. Ut vero ad Cornelium redeam, *scripsit* is auctore Hottingero, lib. I. Biblioth. Theol. cap. VI. p. m. 188. *in plerosque libros Biblicos, quæ tamen opera laboriosa magis est, quam Exegetico-Sholastica. Cujus Epitomator (quo loco ab ipsis habetur Pontificiis) est Tirinus.* Qui idem ibidem & in p. 190. observat, *ex omnibus interpretibus, Cathedris Romanis, præ ceteris, destinatum esse Cornelium à Lapide, ejusque Epitomatorem*

Tirinum,

Tirinum, non quod ille vel ingenio accedat Tostato Abulensi, Thomæ, Lyrano, Cajetano, Estio, Sanchezio; vel eruditione & Linguarum adparatu Ariæ Montano, Vatablo, Muisio; vel judicio & Methodi ἀκριβείᾳ Emanueli Sa, aut Marianæ, quorum quidem breves, sed doctiores, ut plurimum sunt observationes: verum, quia sua populo ut placerent, conscripsit Commentaria ex Discipulo de Tempore, Cantipratensi, Legendis, Vitis Patrum *conlecta, & aliquo eloquentiæ Mangonio fucata proposuit. Plus ergo,* pergit idem Hottingerus, *impendisse videtur laboris, quam* Sa & Mariana, *minus ostendit judicii & ingenii.*

§. II. De Theodoro Beza, Vezeliis, oppido Heduorum vetusto Gallico, nato, Genevensis Ecclesiæ ministro, viro in Philologia magno lego apud Jo. Conr. Dietericum in aureis prolegomenis Antiquitatibus Biblicis præmissis, p. 18. a. quod omnes *Græcos auctores, sacros & profanos evolverit, antequam adnotationes in Novum Testamentum inciperet*; quod sane opus ipsum magis comprobat, ac Cornelii à Lapide opera. Ut vero Bezæ doctissimas in adnotatis & interpretatione Novi Testamenti operas maximopere, ut dignæ certe sunt, eruditi commendant: ita sine solida & sufficiente iidem fieri ratione arbitrantur, quod multa Scripturæ Novi Testam. Græcæ loca, multasque dictiones in suspiciones mendorum & corruptelarum inlatarum vocare non veretur: quo nomine etiam, de nonnullorum minime maledicorum sententia, forte haut injuste, à Jesuita Jac. Gordono Huntlæo Scoto controv. 1. cap. XIII. cum suo olim collega Jo. Calvino, vapulat. Enumerat & vindicat ista loca eximius ille servus DEI B. Salomo Glassius, lib. I. utilissimæ Philologiæ, (qua utilior in studio exegetico, una cum Buxtorfii Thesauro Grammatico & Christiani Noldii doctissimis Concordantiis

cordantiis Particularum Ebræo-Chaldaicarum Havniæ CIↃ IↃC LXXIX. impreſſis, liber non datur) Tr. II. part. II. ſect. II. p. 180. Quid Dan. Heinſius in doctiſſimo interprete deſideret, docent ejus Exercitationes Sacræ ad Novum Teſtamentum: & pro Heinſio adverſus Joannis Croji Calumnias Apologia neceſſaria p. 5, 6, 7. edit. Lugd. CIↃ IↃC XLVI. in 8vo. Adpono hic nonnulla è Johannis Druſii Epiſtola MS. ad Theodorum Bezam: *Niſi quis ſepties tuas Novi Teſtamenti editiones emat, neſciet quid ajas aut quid neges. Memini Typographum eruditum Hieronymum Commelinum hoc mihi ante decennium dixiſſe, quod crebra mutatione conſilii hoc tandem adeptus es, ut plurimi nihili faciant Novum Teſtamentum litera læſum atque ſenſu flexiloquum. Et olim quidam Doctor Cantabrigienſis mihi retulit, quod Cantabrigiæ plures averſati ſunt Religionem, ducti per te ad credendum, quod Novum Teſtamentum depravatum eſt, ſicut per Eduardum Livelejum,* (fuit is Hebraicæ linguæ apud Cantabrigienſes olim Profeſſor) *quod Vetus ulceratum.* Ægre ferunt eruditi, Græce doctiſſimum, b. r. Joan. Ericum Oſtermannum, Græcar. litterar. Profeſſorem Wittebergæ publicum, eruditiſſimas Poſitiones ſuas Philologicas Græcum Novi Teſtament. contextum concernentes (retineo verbum Tituli libri, alias non ignorans, *concernit* pro attinet à Criticis non falſo rejici) non continuaſſe, publicatas verò Wittebergæ anno CIↃ IↃC XLIX. eruditis non familiariores eſſe, quippe in quibus obſervationes Bezæ Criticas & Philologicas admodum erudite, quod ſolet, expendit & examinat. Quod ideo lectorem hic moneo, ne, ſi forte eas in Poſitiones incidat, quod mihi aliquando obtigit in ſcrutario, ubi per ſemeſtre ſine emptore jacuerant, pro derelicto eas habeat & ſpernat. A biennio, quo hæc ſcripſi, inſerui eas Faſci noſtro II. Diſ-
ſertationum

ſertationum Philologico-Hiſtoricar. n. X, XI, & XII. p. 485. ſ. Hoc dubio caret doctiſſimum interpretem Bezam non ſemel uſum eſſe incomparabilis Martini Chemnitii Harmonia Evangelica. Confer. vel Luc. II. 25.

§. III. Eximiam relatu præbet materiam Erudita Doctiſſimi Martinum ad Lydium Bezæ interpretis epiſtola, quam ex illius αὐτογράφῳ hic ſubnecto. S. Cœpi te amare, mi Lydie, ex quo die te primum cognovi, quod in te animadverterem veræ pietatis ſigna, quæ me minime fefellerunt. Itaque ſæpe de te cogitavi, & quum neque ubi eſſes, neque quomodo tecum ageretur, intelligerem, precatus ſum DEUM Opt. Max. ut tibi, ubicunque eſſes, benediceret. Nunc vero pergratum mihi fuit intelligere, te in opere Domini neque fuiſſe, neque eſſe otioſum, imo etiam magnam tibi meſſem & operoſam commiſſam eſſe, quam etiam ſpero abs te copioſam eſſe in horrea Domini noſtri colligendam, niſi, (quod in populoſis præſertim urbibus accidere conſuevit) te ſtrenue laborante, ſibi-ipſis defuerint, qui ſeſe ne ſeri quidem patiuntur, nedum ut irrigati fructum ferant. Magna tamen erat Corinthus, nec illi certe civitati prorſus abſimilis, in qua te Dominus collocavit, ubi multum populum habuit Dominus meſſis. Qualis etiam fuerit Roma, norunt omnes, & tamen nunc quoque, quum Urbi non tantum regnaret, ſed etiam plane fureret Satan, fides Romanorum ſparſa fuit per orbem terrarum. Utinam idem iſtic experiaris. Sin minus, memineris, ſolam eſſe nobis culpam præſtandam. Mallem quidem ego homines in ſuperſtitione educatos, & alioqui per ignorantiam peccantes verbo DEI adduci, quam edictis cogi: neque adhuc mihi perſuadere potui, ſic homines fieri vere Chriſtianos. Sed quum multiplices in ea re occur-

rant

rant circumstantiæ, quæ in alteram partem pium magistratum (ut opinor) inflexerint, absit, ut de re mihi non satis nota quicquam apud me statuam, nedum ut apud quemquam hoc factum vituperem. Sed te quidem hortor magnopere, ut modis omnibus studeas suave & amabile illis reddere, quod fortasse nunc, propterea quod sic cum ipsis actum est, aversantur. Denique DEUM Opt. Max. precor, ut te in tanto opere donis necessariis instruat, & singulari quadam gratia dignetur. Quod ad nos attinet, adhuc stamus DEI beneficio, nec unquam frequentiorem Ecclesiam & Scholam habuimus, feliciores tamen futuri, nisi ex aliarum Ecclesiarum nimium multarum ruinis cresceremus. Sed laus sit DEO, qui suis exulibus hoc perfugium pergit, frustra quidvis moliente Satana, conservare, faxitque ut tanto ipsius beneficio neutiquam abutamur. Quod ad Kemnitium attinet, Danæus Collega meus has in se partes, quas à me postulabas, recepit, neque dubito, quin hoc opus fortiter sustineat. Me certe usque adeo istarum scriptionum tædet, ut toties inculcata repetere sine nausea non possim; quamvis his nundinis, importunitate quorumdam victus, Harchii cujusdam vere insanientis deliria coactus fuerim refutare. Quod si mihi dederit Dominus tertiam mearum Quæstionum partem aliquoties jam intermissam absolvere, in qua studeo paucis, & tamen perspicue contraria omnia argumenta tum jam orta, tum etiam fortassis oritura, obstructis eorum fontibus, refellere, officio meo satisfactum putabo, & ad pacatius scribendi genus me totum, si vita mihi longior fuerit, convertam. Psalterium meum nunc recusum est, auctius & emendatius. Itemque minus novum Testamentum; & jam totus sum in majoribus annotationibus emendandis & augendis, quem

laborem

laborem spero Ecclesiis fore quibusvis apologiis utiliorem. De Gallicis Ecclesiis utinam possem jucundiora nuntiare. Sed quid illo regno miserius esse potest, quod quo sæpius percutitur, eo minus sapit? Vobis autem utinam commodius omnia eveniant. Bene vale, mi Charissime frater. D. Jesus te, Collegasque tuos omnes feliciter servet, vestrisque laboribus cumulatissime benedicat. Iterum vale, & Bezæ tui memor esse perge. Genevæ, 27. Augusti, 1580. Tuus Beza. *Inscriptio.* Eximio Christi servo D. Martino Lydio, fido Amsterdamensis Ecclesiæ *pastori, fratri ac collegæ observando. Amsterdami.*

§. IV. Male Daniel Heinsius (Glassio in Præfat. Rhetor. Sacræ *vir ad miraculum doctus*, & doctissimo Dannhawero in Myster. *vir toto orbe clarissimus*) in Exercitationibus sacris in Matthæi V. 34. p. m. 28. v. 6. scribit : *Cum ex animi sententia jurabant*, Judæi, *Vivit Dominus, cum fallerent, per cœlum jurabant, ut ad Joëlem Jarchi notat.* At in Jarchio id ego hactenus ibi frustra quæsivi. Quod si Heinsius ad Jarchium in Oseæ IV. 15. respexit, dicendum ipsum non intellexisse Jarchium, cum ita scribat : *Et ne jurate cum illis, vivit Dominus : Nam quando; vivit Dominus dicunt, revera mendaciter jurant. Nimirum quando jurare voluerunt mendaciter, pronunciarunt* שם שמים *nomen cœli* (hoc est, DEI, non cœli creati, ut videtur Heinsius putasse) *sed quando serio jurare voluerunt, jurarunt in nomine Baalim.* Neque negandum est, quod religiosi maxime Judæi per שמים *cœlos*, juraverint, majoris & vehementioris adsertionis causa. Babyl. Beracoth f. 55. השמים כן הוא, *per cœlum ita res est.* Ceterum de Abrahami Calovii sententia in aurea Pædia, cap. II. can. IX. p. 62. Heinsius *plerumque in* Criticis Minutiis, *iisque haut raro parum utilibus hæsit, quem castigare cœpit in suis* animadversionibus

bus in Novum Teſtam. Crojus, *ſed magis procaciter quam feliciter.* In multis, quod hic vir ſummus Calovius de Crojo; id de Cl. Salmaſio perpetuo Heinſii Antagoniſta dixit quoque vir doctus quidam. Ille ipſe tamen Heinſius, ſi Apologiæ pro Heinſio adverſus Croji calumnias in p. 2. fides, *neminem aut laceſſivit, aut laceſſitus reſpondit temere, neminique ſcribendo gravis fuit.* Perplacent, quæ Prolegomenis in Ariſtarchum ſuum p. m. 681. inſeruit Heinſius, rationem redditurus, cur *Exercitationum* nomine uſus ſit, idemque Commentariis ſuis inſcripſerit: *Exercitationes,* inquit v. 9. *itidem inſcripſimus: vel quod in rimanda veritate occupamur: vel quod nihil temere adfirmamus; & interdum, ne hoc quidem: vel quod eruditis hanc cognitionem ac judicium deferimus; quos tam multa ſcire nobis conſtat, quam nos ignorare ſemper profitemur.* Hæc verba inſignem maximeque laudandam in viro doctiſſimo moderationem atque modeſtiam præ ſe ferunt. Ut forte Cl. Sarravius Epiſt. XI. p. m. 12. edit. Arauſionenſ. CIↃ. IↃC. LIV. in 8vo non ſatis cauſſæ habuerit ſcribendi: *Ad filii* (Nicol. Heinſii) *quæſtionem de Opere paterno quid ſentiant in Gallia viri docti, poteris inter cetera ex veris reſpondere, omnes ex animo dolere, quod tam acerbe inſectatus ſit Cl. Bezam, cujus eximii pro vera Eccleſia exantlati labores merebantur, ut, ſi quid ei humanitus accidiſſet, mitius cum eo ageretur.* Exorietur, *proculdubio,* ex ejus oſſibus aliquis ultor, *qui Exercitatori Batavo Rhadamanti δίκαιον reponet, & tunc* non ſibi dictum, ſed reſponſum *putet.* At ille ultor, quod ego ſciam, adhuc exortus non eſt. Quæ enim Joan. Crojus ſcripſit ſunt oppido pauca produntque magis malevolum animum & conatum quam eruditionem ac ſtudium veri. *Non queror,* inquit filius Daniel Heinſius in notis ad Ovid. II. Artis, v. 660. p. m. 616. b. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC LXXXIII. *de Jo. Croyo, qui non ſolum*

ſolum oblitus patriæ patriſque Latini, ac communium ſtudiorum, ſed ordinis quoque ſui, homo Theologus ſenio confectum parentem meum nulla provocatus injuria petulantiſſime exagitarit. Audio enim illum à Collegis ſuis officii admonitum, quibus facinus iſtud barbarum diſplicebat, reſipuiſſe. Quæ ad Crojum diſputent Mericus Caſaubonus & Marcus Zuerius Boxhornius, legere potes in Analectis noſtris Philologic. n. II. Adde Salom. Glaſſium in Præfat. Part. I. Exegeſ. Evangelior. & Epiſtolar. p. m. 40. edit. in 4to.

§. V. Ipſe ille laudatus Heinſius occupatus in explicatione verborum Matth. II. 1. ἰδὲ, μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα, quæſtionem movet in Exercitat. Sacr. cap. II. p. 9. v. 20. his verbis: *Illud ambiguum videri poteſt, utrum voluerit,* ὅτι οἱ μάγοι εἰς Ἱεροσόλυμα παρεγένοντο, ἀπὸ ἀνατολῶν, *an vero* ὅτι οἱ μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα. (ſive, utrum hæc verba, ἀπὸ ἀνατολῶν ſint referenda ad prædicatum Propoſitionis παρεγένοντο, ut hic ſenſus ſit: οἱ μάγοι εἰς Ἱεροσόλυμα παρεγένοντο ἀπὸ ἀνατολῶν; an vero pertineant ad ſubjectum, μάγοι? hac ſententia, ὅτι οἱ μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα) & reſponſi loco adfert ſequentia: *Quanquam autem utro modo ſumas, de Oriente Judææ commode accipitur, tamen, ſi priori modo ſumas* (id eſt, ſi ad prædicatum παρεγένετο referas hæc verba, ἀπὸ ἀνατολῶν) μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν *dicentur, ut Latinis,* paſtor ab Amphryſo. *Et apud Joſephum Bileamus,* μάντις ἀπ᾽ εὐφράτε. *Quod Hebræi in regimine* אשפי קדם Magi Orientis, *ſive,* Sapientes Orientis. *Sin poſteriori,* (id eſt, ſi ad ſubjectum rejicias) *Magos, ſive, Sapientes veniſſe Hieroſolymam:*

ſolymam : ab Oriente Hieroſolymæ , Helleniſtæ, ἐκ τοῦ ἀπέναντι τῆς Ἱερουσαλὴμ *dicerent.* Quibus in verbis prius cum poſteriori confundi palam eſt. Nam priori loco quærebatur, utrum ſenſus ſit ὅτι παρεγένοντο ἀπὸ ἀνατολῶν ; deinde, an οἱ μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν ;

§. VI. Veriſſime ab Ubbone Emmio, (Grethano, Friſio, Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ Profeſſore, primoque Rectore Academiæ Groninganæ anno CIↃ IↃC VII. XI. Kal. Septemb. ab illius Provinciæ Ordinibus fundatæ) rerum Chronol. lib. I. ſcriptum eſt : *ut in profana hiſtoria quidve antiquius, ita incertius ; ut ante caſum Sardanapali in rebus magnæ Aſiæ ; ante Trojanum bellum in antiquitatibus Græciæ ; ante Romam conditam de ſtatu Italiæ vix quidquam habeas, in quo pedem firmiter poſſis figere.* Exemplum hujus incertitudinis in antiquiſſimo Argivorum regno invenimus, de quo tantummodo illud clarum certumque judicamus, quod Abrahami tempore inceperit. Agamemnonis enim ætas, à qua ad Inachum uſque jam IↃC LV. mox IↃC LXXV. numerat Euſebius, characterem quemdam ſuppeditat, ſententiam noſtram ſatis confirmantem. Cui teſtimonio & alterum, Clementis Alexandrini nempe, accedit, qui ab Inacho ad Trojanum excidium viginti numerat γενεὰς, tales puta, quarum tres ſeculum efficiunt, quemadmodum idem Clemens libro I. Stromat. adnotavit. Oportet igitur in numeris Clementis eſſe vitium, quando alibi penes auctorem citatum ab Inacho ad Trojanum excidium anni ſupra quadringentos tantum numerantur.

§. VII. *De me hoc habeo adfirmare,* ait Præfat. ad Lector. Variar. Lection. libro præmiſſa Antonius Borremanſ. Eccleſiaſtes Arminianus, *nullum à me eſſe adductum auctorem , quem non prius ipſe conſuluerim.*

Nefas esse credidi alienis oculis fidere, cum mihi proprios ipsa natura dedisset. Bis terve tantum secus facere coactus fui, quando ipsa monumenta mihi perlustrare non licuit. Bene factum! nec aliter oportebat fieri ab eruditis, quibus fides veritas & existimatio curæ cordique sunt. At cum non ita pridem in dicti Borremansii libri caput ult. p. 267. incidi, locumque Polydori ab illo adductum Vergilii Urbinatis legi, non ab re dubitare cœpi, an vel hic prædicatam de se planeque necessariam adhibuerit diligentiam. Verba Borremansii dicto loco hæc sunt: *Non possum,* inquit, *quin addam, quæ hac de re* (pedum osculis) *occurrunt apud* Polydorum Virgilium, *hominem Papistam,* de rerum invent. lib. IV. cap. XIII. *Romani Pontifices,* inquit, *deosculandos pedes exhibendi morem à Christo se accepisse contendunt. At Christus non Magdalenæ osculandos pedes obtulit; sed sponte peccata fatentem, & suam misericordiam non solo amplexu genuum, ut Ethnici, sed etiam osculo pedum implorantem, ejus consolandæ caussa admisit: hoc ipsum honoris genus alioquin non minus repudiaturus, etsi sibi revera debitum, quam adpellationem Magistri boni* (Matth. XIX. 17.) *Sic quoque Petrus Cornelium centurionem ad genua procidentem manu sua sublevavit, SURGE, inquit,* (Actor. X. 25, 26.) *HOMO SUM TIBI SIMILIS: tantum abfuit ut osculandos pedes exhibuerit. Decipimur specie recte, & sæpe cum Caligula pedes protendimus, dum Christi humilitatem vel spernimus, vel fucato conservandæ Apostolicæ auctoritatis titulo exornare laboramus.* Hæc Polydorus prout à Borremansio nobis exhibetur. Quamprimum illum sic repræsentatum Vergilii locum legi, etsi non ignarus, * Indicem expurgatorium Romanum anno CIↃ IↃ XCIX. dictum

* Lege hic eruditissimam Disquisitionem Cl. Dn. Danielis Franci de Papistarum Indicibus libror. prohibitorum

dictum obelisco notasse Polydorum, legique prohibuisse, ob stricturas in ejus opere passim occurrentes veritatis: statim tamen mihi suboluit falsitas illius loci. Evolvi igitur Polydori opus ex editione optima minimeque suspecta Argentoratensi M. DC. VI. in 8vo quæ, ut nos præfatio docet, *opus ab auctore suo perfecte auctum denique, & ita multo locupletius nunc* nobis exhibet, *unde quidquid hauseris, purum, integrum, liquidumque te haud dubie haurire senties*; ibique p. m. 270. hæc inveni verba. *Mos deosculandi pedes Pontificum, ne longe exempla petamus, à Christo Præceptore nostro cœpit, Is summus sacerdos Pontifex maximus tulit, ut mulier, quæ erat in civitate peccatrix,* sicut testis est Lucas cap. VII. 38. *sibi pedes primum flens lachrymis rigaret, capillisque tergeret, ac deinde deoscularetur, veluti apud Hebræos mos fuerat Christos Domini venerari. Voluit item procul dubio Cornelius Centurio pedes Apostoli Petri osculari, sed pater mansuetudinis plenus id fieri non est passus, qui elevans eum sibi ad pedes jacentem, dixit: Surge, & ego ipse homo sum. O Vocem memorabilem, atque salutarem! si bene multi hodie sese quoque homines tantum esse perpenderent, qui propterea quod sacerdotio præditi sint, plane se reliquorum mortalium longe post hominum memoriam imperiosissimos dominos præbent, non communes patres, uti fieri deberet. Ita usu venit, ut nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur: illudque institutum à Romanis Pontificibus duxerim, quo mos ille osculandi antiquus à deorum etiam cultoribus servatus, ad veram pietatem usurparetur. Perinde quandoque expedit ad alliciendos hominum animos ad veram religionem, ut quod apud illos honori antea*

rum cap X. §. 152. p. 169. f edit. Lipsiens. M. DC. LXXXIV. in 4to, qua studiosus Theologiæ Polemicæ ægre carere potest.

fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibeatur cultum. Nam ut Plutarchus testatur, sacerdotibus Romanis nec habere nec petere magistratum permittebatur, lictore tamen & sella curuli utebantur, ut iis deliniti ultra non quærerent, in templis prope januam lecticam habebant tanquam custodes & refugium: pedes iis reliqui osculabantur. Quin & aliis summis viris id genus honoris habebatur, cujus rei testis est Seneca, scribens Cajum Cæsarem porrexisse ad osculandum sinistrum pedem Pompejo Pæno, ut ita ostenderet socculum auratum, margaritisque distinctum. Idem Pomponius Lætus adfirmat, ita scribens: Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum: vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes sibi exoscularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro gemmis & margaritis, quod fecisse antea Cajum Caligulam memorant. Is honos hodie Romano Pontifici fit, qui adeuntes se ad sacra pedum oscula admittit: ceteri vero antistites dextram manum aversam adeuntibus religiose osculandam porrigunt; quod vel ab Ethnicis sumptum constat. Hæc Polydorus. Ex utriusque loci conlatione palam est Borremansium vel alium plane à nostro habuisse Vergilium, vel illum omnino non inspexisse, quod mihi admodum fit verisimile. Nam eadem verba plane eodem, quo nos, modo, adduxit & D. Nicol. Hunnius in Apostasia Romanæ Ecclesiæ. §. 322. p. 531. s. ostendens ex iis communionem Pontificiorum cum Ethnicis; ut & Dn. Joh. Conr. Dietericus in Antiquitat. Biblicis p. m. 396. Ejusdem in Borremansii cap. I. extr. Variar. Lection. libr. p. m. 5. pro *Grebelius* lege *Gerbelius*. Totum cap. IV. inseruimus nostris Analectis Philologico-Historic. n. ult. cap. IV. extr. De cap. III. monuimus quid supra hac in Part. Animadversion. cap. II. §. II. & in Part.

Part. IV. Animadv. noſtr. p. 202. ſ. item in Part. III. Methodor. noſtr. n. VII. cap. XIII. p. 303. Confer & Chriſtoph. Adam. Rupert. Diſſert. ad Valer. Max. lib. VIII. cap. VII. §. 6. extr. p. m. 489.

§. VIII. Simile quid de ſeipſo narrat Chriſtoph. Adam. Rupertus vir melioribus litteris olim abunde dives in Mercurio ſuo Epiſtolari utili p. m. 247. ſ. his verbis: " *En, quid olim acciderit feſtinanti mihi. Cum ad Velleii Lib. II. Cap.* 33. *diſſererem de non reſtituenda libertate, ſemel oppreſſa, inter alia adduxi locum è Plutarcho, Sullam potitum rerum, poſt debellatam Marianam factionem, Dictaturam, alioquin ſemeſtrem, ad annos* 120. *hoc eſt, perpetuam SCto ſibi decretam ſuſcepiſſe. Quem locum ad marginem Salluſtianum prius notaveram ex obſervationibus Viri Cl. Matthiæ Berneggeri, ad Suetonii Cæſarem cap.* 77. *Feciſſem autem hoc nunquam, ſi meis, quam alienis oculis, credere maluiſſem. Nam aliquanto poſt inter deambulationem rogatus ab amico ſententiam, num Sullæ ad annos* 120 *decreta fuerit Dictatura? negavi; & cum inſtaret, hanc ipſam aſſertionem meam fuiſſe, non credidi. Adeo curam & intentionem anteceſſerat calamus! Sed cum hoc demonſtraſſet, quod dixerat, ex ipſis prælectionibus meis; agnovi ſtatim, & damnavi oſcitantiam meam, quod Berneggerum, ſimili properantia lapſum, ſecutus eſſem, contra Græcorum verborum ſenſum, contra Hiſtorias, & contra ipſam rationem. Ecquis enim credat, Senatum Romanum illo tempore tam ridiculi Senatus conſulti auctorem eſſe potuiſſe? Quamobrem, deſcriptis Plutarchi verbis è Græco Codice, quæ fuerunt:* Δικτάτορα μὲν γὰρ ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε, δι' ἐτῶν ἑκατὸν εἴκοσι τοῦτο τὸ γένος τῆς ἀρχῆς ἀνέλαβεν, *facile vidimus, quam non cum Berneggero vertendum ſit:* Dictatorem ſeipſum renunciavit, eumque Magiſtratum ad annos 120. aſſumſit; *ſed cum Xylandro:* Eumque

que Magiſtratum ab annis 120. (*ſubintellige*, intermiſſum, *vel à nemine geſtum*) aſſumſit. *Hoc enim dicit Plutarchus, quod* Velleius Paterculus lib. II. cap. XXVIII. §. 2. *Sulla Dictator creatur; cujus honoris uſurpatio per annos* 120. *intermiſſa.* Hæc Rupertus. Ponitur & hoc à Jac. Laurentio Eccleſiaſte Amſtelod. Hugonis Grotii in vitiis *alienis quod viderit oculis. In errorem hunc*, ait, in Anatomizata Hugonis Grotii epiſtola, ἐπιμέτρῳ I. p. 35. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC XLII. in 8vo. *non incidiſſet Grotius, ſi in citandis authoribus non ſuo more, ut ex hoc & aliis ſimilibus ſcriptorum ejus locis liquet, alienis videret oculis, & non, ut ego ſoleo in omnibus ſcriptis meis, propriis.* Meliori ergo nobis fide, quod fauſtum & felix ſit, ſcribit Laurentius, ac Grotius: At enim Davidis Parei Theologi Heidelbergenſis oculi Jacobo Laurentio ſine dubio fuerunt non proprii, & iis tamen, præprimis in Exegeticis nullibi non videt. Quam parum circumſpecte ille ipſe Laurentius in Rever. ſubdola Eccleſ. Rom. erga Patres Lugd. Batav. CIↃ IↃC XXIV. in 8vo edita auctores adducat, alii ante nos dudum oſtenderunt; meruit tamen illud ipſum ſcriptum magni Jo. Georg. Dorſchei encomium in ſcrupulis religionis p. 15. adducitque illud non ſemel ad Pontificios in Antimarcellianis Coburgenſium quondam Superintendens Generalis, Dn. D. Joh. Chriſtoph. Seldius. Et ſane probo diligentiam in illo ſcripto, ſicut & in ceteris ejus, etſi maximum non ſemper adhibuerit judicium. Neque tamen illum ipſum dictam ob culpam infamari Grotium ab aliis ignoro, præſertim à Cl. Viro Godefrido Sopingio Eccleſiæ Bolſverdianæ in Friſia Occidentali, dum vixit, Paſtore doctiſſimo, illi ſemel atque iterum in non inerudita Apologetica ad Hugonis Grotii Pietatem Franicæ 1616. in 4to impreſſa Reſponſione p. m. 184. & 194. objiciente, quod

quod è Bilſono Epiſcopo Ciceſtrienſi & poſtea Elienſi, qui & Regi Magnæ Britanniæ à Sacris & Eleemoſynis fuit, *ad verbum plurima ſublegerit.* Ceterum quam eleganter & adpoſite, quantoque auctoribus cum judicio Grotius in de jure belli & pacis libris utatur, oſtendit in Prolegomenis Commentationis dicti in Grotii libros harum rerum, ſi quiſquam, prudens Jo. Henr. Boeclerus; quem vide. At vero plurima Scriptorum loca non optima ſemper fide Grotium in in inſigni ſuo, quod *Excerpta ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis* vocat, opere adducere, pluribus oſtendit doctiſſimus Anglus Thomas Gataker Londinas in Adverſar. Miſcellan. cap. VIII. IX. X. XIII. &c. Narrat vir eloquentior dicam, an ingenioſior, Marc. Anton. Muretus in Var. Lect. cap. XII. lib. XIII. apud Philippum Caroli in Diſſertatione de Criticis p. m. 19. ſ. "Se publice aliquando diſſeruiſſe de luxu "Roman. enumerando multa genera peregrinarum "avium, quas illi è remotiſſimis Orbis partibus peti-"tas, menſis intuliſſent. Triduo poſt veniſſe ad ſe "unum de Auditorum numero, qui, Nollem, inquie-"bat, à te nuper *prætermiſſam* unius avis mentionem, "ex qua una inexplebilis veterum luxuria cognoſci "poterat, *Phœnicem* nimirum illam admirabilem. Ob-"ſecro te, inquit Muretus, etiam Phœnicem illi eſita-"bant? quam ſexcenteſimo demum anno naſci ha-"ctenus credidimus? Ille prolato *Plutarchi* libro "τῶν ὑγιεινῶν hæc verba legit ab Eraſmo reddita: "*Phœnicis cerebrum, cum ſit admodum dulce, tamen aiunt* "*capitis dolorem parere.* Tum Muretus inſpecto cura-"tius textu, Una Græca vox, inquit ad aſtantes, pau-"lo negligentius expreſſa, videte quantum errorem "& ſodali huic noſtro, & fortaſſe etiam aliis objecerit. "Φοίνιξ enim Græce *palma* eſt, cujus arboris non

" tantum fructus esui sunt, sed & medulla, ut Theo-
" phrastus lib. II. περὶ φυτῶν confirmat. Quare bo-
" nus Erasmus *Palmæ medullam* interpretari debuit,
" non *cerebrum Phœnicis*: nisi ipsius cerebrum tum for-
" te flore Liberi percussum fuisset. In *Apophthegma-*
" *tibus* etiam persæpe dormitavit, uti à *Fr. Robortello* de-
" monstratum est. Quodam loco (lib. scil. III. A-
" pophthegm. p. m. 267. edit. Basil. M. D. XXXV. in
" 8vo) sic vertit: *Præteriens Diogenes prodigi cujusdam*
" *ædes, inscriptionem habentes,* VENALES: *facile, in-*
" *quit, divinabam fore, ut præ immodica crapula domum*
" *evomeres.* Ex Græco ita debuisset: *Divinabam fore*
" *aliquando, ut luxurians tamdiu domus herum suum* evo-
" *meret.* Quid hoc sensu lepidius? aut cujus non
" offendit aures, cum Erasmus ait, *virum evomere ædes*?
" Etsi vero monitus postea quædam correxit, tamen
" famæ suæ non nimis consuluit: nam ut in theatro
" exclamavit P. Syrus, *etiam sanato vulnere cicatrix*
" *manet.*

" Non est mihi dubium, me visum iri nonnullis
" vestrum iniquiorem in nomen Viri Clarissimi; qui-
" bus pro me respondebit Jul. Cæsar Scaliger Oratio-
" ne disertissima, qua Ciceronem adversus istius al-
" latrationes propugnat. Peccarunt cum Erasmo in-
" terpretes multi Poëtarum & Historicorum, quos
" longum sit recensere. Imposuit aliquando mihi
" ex hoc ipso loco peroranti Latinus textus Dionis in
" Vita Commodi: ubi legitur, (lib. LXXII. p. m.
" 827. C. ed. opt. Hanoviens. M. DC. VI. in fol.) *Com-*
" *modum abscisso capite* PASSERIS, *quod altera ma-*
" *nu gestabat, altera cruentum gladium, tantum Senatori-*
" *bus forte congregatis terrorem incussisse, ut se in ipsis hian-*
" *tium faucibus hærere existimarent.* Consulta postmo-
" dum versione Græca, me simul & versorem suaviter
" ineptiisse deprehendi. Quis enim capite passeris
terreatur,

"terreatur, nisi cui cor recte situm non est? Debuit "reddere Interpres pro *passere Struthiocamelum*. De gladiatoriis enim Commodi factis sermo est, & Struthiocamelos jam inde à Plauti temporibus solemne "fuit Romanis, in Circo ad pugnam dare & spectaculum. Hujus resciffo capite terreri potuisse vel "prorsus exanimari Senatorum consessum, quos inter se quoque fuisse Dio scribit, vero non est absimile: à tali præsertim tyranno, de quo usurpandum "erat illud Historici: *Tantum vini nemo habuit, quantum ille fudit sanguinis*.

"Præterea quamplurimos: ut illum qui apud Agathiam τὸν σταγειρίτην (Aristotelis nostis esse cognomentum à patria) transtulit *vini amphoram*: & "cum Auctor hoc diceret, Chosroën, Persarum Regem, totum Aristotelem memoriæ tradidisse, seu, "quod ipsius verbum est, καταπιεῖν, imbibisse: reddit bonus ille Dormitantius, *Regem totam vini amphoram perpotasse*. Præterea illum, qui *leporem* pro "*cervo* transtulit apud Homerum: Th. Gazam apud "Aristotelem, qui pro *lacerto* pisce vertit *monedulam*: "Oecolampadium, qui pro *memoria Lunam* interpretatus est apud Cyrillum: Eobanum Hessum, qui in "Theocrito κατὰ σταθμὸν exponit, *ad stabulum*, cum "deberet, *ad amussim*. Iterum Gaza in 7. Hist. Anim. "ita habet: *Fœminis etiam per id tempus exurgunt ubera, quod* FRATRARE *dicitur*. SORORIARE vertendum erat: ita enim Sextus Pompejus docet: SORORIARE *dicuntur mammæ puellarum, cum primum tumescunt; ut* FRATERCULARE *puerorum*. Hactenus Philippus Caroli.

§. IX. Non leve, cetera non indoctum, abstulit erratum Petrum Molinæum, Pastorem in Ecclesia, & Academia Sedanensi Theologiæ Professorem. Is quippe

quippe Cardinali Jacobo Davidi Perronio reſponſurus regis Britanniæ magnæ nomine, objicienti Canonem Synodi Secundæ apud Arelatum circa annum Chriſti CCCXXVII. celebratæ ſecundum ita habentem: *Adſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio*: ut probaret cœlibatum clericorum præcepto Eccleſiæ introductum; in Novitate Papiſmi p. *666.* edit. Veſalianæ Germanicæ M. DC. XXXII. in 4to ait: *Decreto equidem in Romano diſt.* XXVIII *in Canone.* Adſumi *adducitur tertio ex Arelatenſi Concilio Canon, ajens*: Adſumi aliquem &c. *At in Tomis Coloniæ* CIƆ IƆ LXVII. *impreſſis, in dicto Concilio Arelatenſi* III. *iſte non reperitur Canon. Et in vetuſtioribus impreſſionibus de anno* CIƆ IƆ XXXVIII. *Coloniæ, ut &* CIƆ IƆ LI. *Item in editione Bartholomæi Caranzæ plane contrarium legitur, dictus enim ibi Canon ita*: Adſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe, in conjugii vinculo conſtitutum, non oportet, niſi fuerit promiſſa converſio. *Qua è diſſenſione perſpicuum eſt, quam parum Conciliorum Canonibus qui Græce non exſtant, tribuendum ſit.* Hæc Molinæus, prout ipſum è Germanico in Latinum vertimus. At vero minime è III. ſed Concilio Arelatenſi II. Canonem adducta diſtinctione adlegavit Gratianus, qui ipſe idem exſtat Canon in Tomo Conciliorum primo opera Laurentii Surii edito, & Coloniæ Agrippinæ apud Gerwinum Calenium & heredes Joh. Quentelii anno Dom. M. D. LXVII. typis expreſſo. Legitur quoque in Caranza p. 98. his verbis: *Aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe, in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.* Sed utut ſit de Synodo, certum eſt, parum fidei tribui poſſe Canonibus è manu adverſariorum non ſine corruptionis ſuſpicione ad nos delatis, imprimis ubi Canonibus illis non adjuncta ſunt Conciliorum acta, quæ in tomo Conciliorum primo

mo rarissime invenias. Ad Pontificios pro conjugio Clericorum in peculiari luculento tractatu optime disputavit D. Georg. Calixtus, in quo frangent potius dentes, quam impriment hæretici. Inter omnes sane ejus libros, iste optimus est, planeque orthodoxus. Addas tamen & eruditissimam consultationem de conjugio ministrorum Ecclesiæ Andreæ Hyperii, quam habes in p. 466. s. partis secundæ opusculorum ejus theologicor. Basil. 1571. in 8vo.

§. X. Laboriosi & experientis JCTI titulum Jacobo Menochio nemo, ejus scripta qui legit, negabit facile: quia tamen is alicubi scripsit de Petro Bellino, *Vir omnium laudum cumulatissimus*; de Cujacio, *Vir omnium laudum dignissimus*; de Connano, *docte ac omnium melius doctiss. Franc. Connanus*; inde ab Huberto Gifanio JCto Argentoratensi Altdorffino, postremo Consilii aulici Pragæ adsessore, voce & scriptis rem litterariam multum promovente in præfatione ad Partitiones Rittershusii feudal. illam in scriptorum relegatur classem; *qua multi deploranda hujus seculi ratione, qui ne Latine quidem recte nôrunt, magnos tamen & ponderosos de jure commentarios edere audent.* Jacobum Laurentii, cui exciderat *elixeris* pro *elicueris*, monet in Voto, p. 63. Grotius, *ne qui Latine non didicit, Latine scribat.* Usque adeo verum est, quod Erasmus seculi sui vere Phœnix jam olim in de Origenis Vita pronuntiavit epistola: *Si quis dicat, Grammatices professionem nihil habere memorabile: sciat, olim senile & arduum fuisse negotium. Nec enim à Doctori exspectabatur Declinationum, Conjugationum, & Constructionum ratio: sed præter sermonis elegantiam, præter plurimorum auctorum lectionem, præter antiquitatis, & omnium Historiarum notitiam, requirebatur Poetices, Rhetorices, Dialectices, Arithmetices, & Cosmographiæ, Musicesque cognitio. Minore negotio tres* Juris *Doctores absolveris, quam unum*

Gramma-

Grammaticum, qualis fuit Ariſtarchus apud Græcos, apud Latinos Servius & Donatus. Item *proclivius eſſe vel in triplici facultate Doctoris nomen, quam ſemel boni Grammatici titulum promeruiſſe.* Et doctiſſimus Humanarum artium Wittebergæ Profeſſor B. Fridericus Taubmannus Francus in de Latina Lingua Diſſertat. non ab re exiſtimabat; *facilius eſſe in triplici facultate Doctorem hodie fieri, quam orationem Romanam aut Ciceronianam elaborare.* De erudito quodam ac à nemine non celebrato in Germaniæ Academia Profeſſore perhibetur, quod ambiens ſponſam ſuam illi prædicaverit, ſe ei optionem dare, cuinam nubere vellet, utrum Doctori Theologo, an Juriſconſulto, an vero Medico? Se enim omnibus in his tribus æque facultatibus excellere & coronari poſſe. Sponſa medium amplexa, mihi divina fuiſſe videtur, quippe eminebat in jure, quamvis in ceteris non hoſpes, illius ſponſus: Huic tamen trium, propria pro opinione ſua, facultatum doctori, vaſtique ingenii viro Priſcianum ob neglectas regulas ſuas litem coram Apolline intendere potuiſſe, in proclivi foret oſtendere, niſi exiſtimationi viri parceremus. Quam multa hic incidunt de viris etiam maximis clariſſimorumque nominum, quæ mecum morientur. Miror acerrimis iſtorum virorum adverſariis, quo citius omnem exiſtimationem & eruditionis ac doctrinæ famam ab eis auferant cum pulviſculo, harum rerum non venire in mentem. Sed deſino mirari, cum & ab illis Priſcianus vapulet, præprimis à Gallis quibuſdam Jeſuitis, quamquam nec reliquos omnes excipiam, ut mirum ſit homines reperiri, ſuos qui amandent ad Jeſuitarum Collegia liberos, Linguæ Latinæ ſub eorum ductu operam navaturos, cujus quamplurimos plane expertes eſſe, neminem paulo humaniorem fugere poteſt. Neque tamen nego & apud nos tales nonnullos in Scholis

reperiri

reperiri præceptores, qui nunquam in ſtilo fuerint diſcentes, ſcribantque ſine lectione. Recordor hic, Miltono, eo ipſo in loco, ubi Salmaſium ob ſolœciſmum exagitavit, pinguem excidiſſe ſolœciſmum, *vapulandum ſe præbuit*; quem notavit Vavaſſor in lib. de Epigramm. cap. XXII. p. 302.

CAPUT V.

§. I. DOleo *Viro de politiori litteratura* judicio Petri Dan. Huetii p. 227. in de Claris interpretibus, Germanis paullo iniquioris alias in illo tractatu, *præclare merito* Joachimo Camerario, *ſuæque adeo Germaniæ ſingulari ornamento* effluxiſſe in Fabula de Cervo & ove p. m. 189. *redditurum* pro *redditurам*. Do verba ejus ex editione optima Lipſienſi M. D. LXXXIX. *Promiſiſtin', inquit cervus, te* (ovem) *hoc die redditurum mihi frumentum.* Ut culpa tantum virum liberarem, libenter eam in Typographum conjicerem, ſi modo unum haberet recte exemplar. At quoniam omnes ita legunt editiones ab ipſo quoque auctore recognitæ & emendatæ, aliæque præterea; quid hic dicere poſſim non invenio. Non adduxiſſem maximi viri mendam hic, niſi in plurimis Germaniæ Fabulas eas Scholis prælegi ſcirem, & ſic juventutis intereſſe putaſſem, ea de re hoc loco nonnihil monere. Sic & in Fabula de Fele & Mure *converſum* offendo pro *converſam* : *Heus tu, inquit*, p. m. 93. muſculus ad felem, *ſi te in ſacculum converſum eſſe ſciam, nunquam tamen commiſſurus ſim, ut ad te propius accedam.* Scio quidem Rob. Stephanum vocem *felis* in Theſauro ſuo communis generis eſſe dicere, at ego, ipſo quoque Voſſio auctore I. de Analogia cap. XXXVI.

p. m.

p. m. 551. edit. Amſtel. CIↃ IↃC LXII. in Maſculino uſurpare non auſim. Lapſus etiam eſt alicubi Thomas Morus in Epigramm.

Ventum erat ad vinum; cum ſic ſua lumina mæſtus
Adfatur, poſito jam peritura mero.
Huc iter eſt: huc vos fidi duxiſtis amici.
Hunc *bibite; & dulces ambo valete duces.*

Hoc merum, vel vinum dicere oportuit, non *hunc*; niſi *nunc*, legendum. Typographo tribuo quod in P. Victorii lib. I. Ep. II. ad German. p. 19. extr. edit. Francof. M. D. XCVII. *ſpondiſti* pro *ſpoſpondiſti*, quod contra Bechererum & Rhenium adſerit Becmanus in Schediaſmate Philolog. p. m. 41. edit. Francof. M. DC. XIX. in 8vo vel *ſpoſpondiſti* legatur. Verba Victorii hæc ſunt: *Cum Patavium te contuliſti, quæ urbs eſt domicilium omnium virtutum & tanquam Mercatus quidam bonarum artium, eodem tempore te inde ornatum & copioſe inſtructum diſceſſurum ſpondiſti.* Tu vide Philippi Caroli Diſſertationem de Criticis p. 28. & Animadverſ. in Agellium cap. VII. p. 53. ſ. & cap. XII. p. 221. ſ. edit. Noribergenſ. CIↃ IↃC LXIII. ubi raræ & inſolentis conſtructionis aliqua exempla profert. Produximus & nos aliqua in notis ad Paſcaſii Groſippi Diſſertationem de Rhetoricarum Exercitationum generibus, quam n. X. Conſiliis & Studiorum Methodis inſeruimus p. 388. Addam hic in mei defenſionem verba illuſtris Scaligeri è Prolegomenis ſuper Euſeb. p. 4. " Quum tria objici poſſint, *παρορά-" ματα, σφάλματα, καὶ παρεγχειρήματα, hallucina-" tiones, errores & temerationes, ſive interpolationes*, ſciant " omnes, quum aliquem hallucinatum eſſe dicimus, " hoc ad ullam ejus contumeliam minime pertinere. " *Hallucinationes* enim per incogitantiam, *errores* per

" inſcitiam,

" inscitiam, *reliqua* per audaciam committuntur. *Hal-*
" *lucinationes* excusari debent, *errores* tolli, *temerationes*
" castigari, eo temperamento adhibito, ut contume-
" liæ suspicio omnis absit. *Tria* tamen hæc pericu-
" losi exempli sunt, si ad magni nominis auctorem
" referantur. Quos enim admiramur, eorum ple-
" rumque vitia virtutes putamus. Nos hallucinatio-
" num & erratorum Eusebii aliquot exempla ideo
" produximus, ut illas excusemus, hæc castigemus,
" ab utrisque autem ingenia rudiora prohibeamus.
" qui enim veterum erratis blandiuntur, invidiam
" errorum ab illis in se derivant, & severius casti-
" gandi sunt, quam ii, quorum culpas defendunt.

§. II. Historia judicium formari dicendique facultatem augeri Demosthenes non ab re censuit, cum Thucydidem adeo familiarem sibi fecit, ut *octies* etiam eum descripserit. (Conf. infra §. III.) Dico *octies*. Inter ceteros enim, quos in Adriano Turnebo observavi non paucos memoriæ lapsus, & iste occurrit, quod lib. XXVIII. Adversar. cap. XXII. p. m. 612. edit. Aureliopolitanæ M. DC. IV. in 4to ait, *Demosthenem tam studiose Thucydidem pervolutasse, ut decies sua manu totum scripserit.* Robertus Titius lib. IV. Adsertionum cap. V. *septies* dicit. Atqui Lucianus Tomo II. πρὸς ἀπαίδευτον, unde isti hoc desumserunt, *octies* habet: Τὰ τοῦ Θουκυδίδου παρὰ τοῦ Δημοσθένους ὀκτάκις μεταγεγραμμένα· id est, *Thucydidis scripta à Demosthene octies transscripta*; scilicet ut sibi auctorem eloquentem quam familiarissimum faceret. Nec vero aucupatus est præcipue verba, aut genus sermonis, nam Thucydidis oratio admodum dissimilis est forensi: sed varias reipubl. mutationes ac momenta considerabat in historia; excerpebat principum consilia, quorum cognitio ipsi quoque in publicis delibera-

deliberationibus proderat. Aliquid etiam gravitatis addidit Demosthenis orationibus imitatio Thucydidis, multas enim refert Demosthenes sententias Thucydidis. *Ita bellum Peloponnesiacum*, auctore doctiss. Jo. Caselio cap. XXVI. Προπολιτικῆς p. m. 125. *condidit Thucydides, ut potius Politicum informare videatur; nec falso quis dixerit, minus in iis libris historiæ esse, quam doctrinæ; doctrinæ vero, quantum ad civilem prudentiam, certe quod conducat plurimum. Qui Thucydidem legit, habet, cur pergat: habet, cur subsistat. Quis enim in uno forte alterove orationis ambitu non moram faciat, ut in tabulæ angulo, quam ingenio & penicillo Apelles absolverit? quis item ejusmodi tabulam non perlustret omnem?*

§. III. Cum anno CIↃ IↃC LXXXVII. Cl. Dn. Justus à Dransfeld, Illustris Pædagogii Gottingensis Rector opus quoddam summi Viri Jo. Caselii alterius Germaniæ Melanchthonis, cujus & ipse auditor Wittebergæ fuit, ediderat epistolicum, illas dicti Caselii exhibens epistolas, quæ in Fuchtiana & Vagetiana (uti & Francofurtana anno M. D. XCVII. complectente & Petri Victorii, præter Caselianas, epistolas lectu dignissimas) editionibus non comparent; rogabar non semel, mihi quid de illa videretur editione ab amicis: laudans eam, provocans ad præmissam illi editioni doctiss. Hermann. Conringii epistolam de scriptis Caselianis, nihilque me magis, adfirmans, in votis habere, quam ut ad unum omnia tanti Viri utilissima scripta edantur denuo propediem, & ab interitu vindicentur, ostendi illis aliquod *Jo. Caselii in explicationem concionum Thucydidearum Proœmium*, (hic enim est illius, quod jam jam dabimus, Programmatis titulus) Rostochii typis Stephani Myliandri, anno CIↃ IC XXCIV. in 4to excusum, quod quidem lectum illos adeo sua cepit elegantia ac utilitate, ut nonnulli illud etiam manu sua descripserint.

rint. Quia vero hic præter opinionem, ob Turnebum & Titium præcedente in §. à nobis adductos, & in Thucydidem & in Caselium incidi, nolui amicis gratificandi prætermittere occasionem, illudque cum illis communicandi. Ita autem sese habet:

" *Historiæ, Artis dicendi, & Politicæ studiosis adolescentibus*
S.

"Plerique vestrum ipsimet intelligitis, cur bonæ " litteræ omni vobis studio colendæ sint: non equidem, ut deinceps solitariam vitam agatis, velut inter aves dicuntur aquilæ, sed ut sic animos vestros " paretis ad communem societatem hominum: ut " eam omnibus officiis tueamini, & bonis consiliis, " & manu denique forti, quantum in quoque sit, præ " ceteris adjuvetis, fulciatis, constituatis. Qui hoc " non spectant ante omnia, sed litteris sibi vel honores, vel opes, vel otium, vel quicquid est privati " boni sive commodi, parare cogitant; neque ingenuæ doctrinæ vim tenent, & ab ipso fine longissime aberrant. Hinc efficitur, ut neque rem ipsam " aut solidum quiddam ex re unquam consequuturi " videantur. Hosce tamen culpa libero, qui amore " scientiæ ad indagandam veritatem se totos conferunt, & in meditatione naturæ rerum omne suum " studium, omnemque vitam collocant. Neque enim " me fugit, non peccare paucissimos, qui hoc faciunt, " ut olim Anaxagoras, & hujus similes, prisci Philosophi, è quibus tamen non pauca in communem " vitam commoda redundant. Neque nunc de nobis " sive pro nobis loquor, qui in vobis erudiendis curam omnem, laboresque nostros impendimus. Nemini enim profecto aut in otio prorsus vivere, aut " ad communes vitæ usus nihil conferre videri possu-

"mus, nisi fortasse vel imperitis vel iniquis, nec ta-
"men legitimis, nostrarum actionum censoribus.
"Prætereo enim, quæ nobis exhaurienda fuerint an-
"te, quam ad docendum accederemus: neque modo
"ullum tempus ab investigatione verarum sententia-
"rum nobis vacuum relinquitur. Neque tanti sunt
"labores docendi, quos esse & multos neque leves,
"negarit nemo, qui hujus rei serio periculum fece-
"rit. Laborandum est nobis quotidie de educatione
"adolescentiæ: alii erudiendi, alii in viam revo-
"candi, alii monendi, alii etiam objurgandi: alii
"aliquando, nolis, velis, habendi indulgentius:
"relinquendi quidam, non sine acerbo animi dolo-
"re. Atque (de me enim dico) ut fortasse ad igno-
"scendum videar pronior, sive hæc nativa lenitas est,
"sive suscepta consilio, ita durior sum, quam ipse
"mihi probem, in alteris rejiciendis, quos omnem
"pudorem abjecisse, semel judicaverim. Namque
"& animi quidam morbis incurabilibus prostrati si-
"ne spe jacent: in quibus, quodcunque olei & ope-
"ræ insumpseris, omnium jacturam feceris. Hoc
"porro gravissimum est: si qui vel jampridem pe-
"rierint, vel servari nolint, vel ad fastigium digni-
"tatis non adspirent, ut sibi vigilantes aliqui de illis
"somniarint: tum vero judiciis plebis vapulamus.
"Hoc alii mecum plures, ego inprimis experior:
"qui tamen graviter fero, cum adolescentes, sive de-
"pravata institutione, sive sua petulantia, perire
"video: animi etiam angor, si quis, vel mihi fami-
"liarium, vel qui esse mihi familiaris existimetur,
"expectationem nostram prorsus fallit, & longius ab
"officio discedit. Nam ut maxime amamus littera-
"rum & virtutis cultores acerrimos: ita non odimus,
"(neque enim debemus) non omnino alienos à lit-
"teris, nec devotos impudentiæ, etsi in iis multa de-

"sideremus

" ſideremus: quin fieri interdum vidimus, ut hi il-
" los ſuperarint, vel æquaverint. Utinam ex illis
" etiam, quos priores merito dixi, nemo unquam de
" via deflexerit. Lubrica enim profecto eſt cum pri-
" mis fervens ætas, & tentatur unuſquiſque, ni fallor,
" illis annis, ut ipſemet Hercules, quemadmodum
" accepimus in fabulis. Non igitur ſine negotio,
" nobis vivimus, ſed minime otioſi, nos quoque vo-
" bis impendimus vitam & reipublicæ: quando co-
" gitationes, conſilia, vigilias & labores noſtros huc
" referimus, ut vos litteris, & quidem his non à vir-
" tute vacuis, noſtra opera imbutos, ablegemus ad
" capeſſendam rempublicam, cujus variis partibus
" quiſque ſuo loco deinceps fungatur fideliter. Ut
" autem nihil prætereamus, quibus ad officium in-
" formetur ætas veſtra; & ordine traduntur bonæ
" diſciplinæ, & unaquæque à quo maxime intelli-
" gitur, enarratur dexterrime, & ſcriptores optimæ
" notæ tum Latini tum Græci explicantur. Ego quid
" in utroque præſtiterim, ſive quid conatus ſim; al-
" tius repetendum mihi eſſe non cenſeo; ne vel verum
" dicens in ſuſpicionem incidam arrogantiæ: partim
" meminerint & teſtentur alii, partim vos videritis.
" Nunc viſum mihi eſt, conciones Thucydidis vobis
" interpretari: rem cum primis arduam. Hiſtoriam
" per vos cognoſcetis, quam tamen paucis etiam nos
" verbis perſtringere conabimur. Proficietis autem,
" duce Thucydide, monſtrante me: proficietis, in-
" quam, in iis artibus, quæ ad rempublicam maxi-
" me pertinent: etiam in ea, quæ princeps habetur
" omnium: & hac de cauſſa appellatur architectori-
" ca: cui omnes ancillantur ceteræ: cujus & mini-
" ſtra eſt hiſtoria, inſtrumentum dicendi facultas.
" De hiſtoriæ & ſuavitate & uſu, cum ab aliis dicta
" ſcripta ſunt & multa & vera, tum nos quoque idem

" non neglexinus, neque negligemus, occasionem
" aliam nacti. Hac enim, quamvis bona, uti mo-
" do nolumus, ne in unum locum omnia. Elo-
" quentiæ autem studium sive disertæ orationis ratio-
" nem, politum hominem, etiamsi neque ad dicen-
" dum contendat, neque ad scribendum animum
" applicet, negligenter colere nequaquam oportet.
" Namque & in sermone familiari garrulos & insul-
" sos aversamur : amamus autem & admiramur, qui
" sale rerum & verborum orationem sciant consper-
" gere. Quodvis horum spectes, te Thucydidea le-
" ctio adjuvabit plurimum, & ad laudem eloquentiæ
" contendentem maxime. Quod ratione plannm
" facere vel hac una possum, quod sublime hic est di-
" cendi genus & character magnificus, in quo sum-
" ma virtus orationis enitescit. Nec ulla gravior est
" auctoritate Demosthenis, cujus eloquentiam supra
" omnes admirata fuit Græcia. Hic enim manu sua
" Thucydidem (*vid. superiorem §. II.*) octies descrip-
" sisse scribitur, ut eum omnibus rerum momentis,
" sive omnibus etiam verbis, quæ singula pæne res
" singulas repræsentare credita sunt non abs re, accu-
" ratissime ponderatis, rectius consideraret, sibique,
" quod secus fieri non potuit, redderet quam fami-
" liarissimum. Sic namque ex eo, quid, quantum-
" que, quacunque in re, quo loco, & quomodo vel-
" let, sibi pro suo uteretur. An igitur nos etiam ope-
" ram lusuri videamur, quam in hoc uno scriptorum
" principe ponamus? Non equidem arbitror: quin
" affirmare vobis non dubitem, neminem vestrum
" hinc inanem abiturum : sed quemque aliquid opum
" prudentiæ civilis hinc haurire mediocri diligentia
" posse : tanta hic est optimorum consiliorum co-
" pia : & quoniam hæ sublimes sententiæ non cui-
" vis obviæ sunt; (est enim hic scriptor, ut diximus,
" optimus,

" optimus, quidem ille, sed, quod vos non deterre-
" re, sed allicere potius debet, idem etiam ad intelli-
" gendum unus omnium difficillimus) studio etiam
" nostro eas eruemus, quantum in nobis erit, & au-
" ditoribus ingeniosis, neque negligentibus pone-
" mus ante oculos. Nec est, quod hic amplius, aut
" vos quæratis, aut ego coner hoc loco explicare,
" quæ sint illa præcepta politica; eorum enim the-
" sauros & excellentiam videbimus quotidie. Vos
" adeste frequentes, animum advertite, &, quod re-
" cte cœperitis, in eo constanter perseverate. Valete.
" P P. Kalend. Jan. anno CIↃ IↃ XXCIV.

§. IV. Addo & ejusdem non inelegans Caselii Helmæstadii scriptum in Academia Julia carmen XV. Kalend. Jun. undemillesimo sexcentesimo anno, Clarissimoque Viro Dn. Joachimo Hubnero Serenissimi Elect. Brandenb. Consiliario præcipuo φίλῳ καὶ πατρόθεν, ut habet Manuscriptum penes me cum ceteris aliquot illius Viri adservatum, φιλτάτῳ inscriptum.

Septimus hac mihi luce & sexagesimus annus
Exoritur vitæ: cui si quid largiter addet,
Seu fati quid demet inevitabilis ordo,
Opperiens, animi nec iniquus, habebo perinde.
Interea sed adhuc dum servant stamina Parcæ,
Officii, valeam modo, non abjecero partes:
Quin pia præclare de multis cura merendi,
De patria in primis, animo defixa manebit:
Quippe nec invidiæ, cedendo sive rogando,
Quod neque fas cuiquam, placabo territus iras,
Quanto sum propior metæ, certæque saluti.
Atque adeo his jam nunc animis opus esse putabo,
Ne decus antiquum turpi formidine fœdem,
Ferventes Eridos quum primum trudor in æstus,

Nobile qui reliquis ſemper paciſque quietiſque
Exemplum fuerim, neque verbo noxius ulli.
Sin jubear citius ſcena decedere vitæ,
Cras, hodie, rerum ſatur, haud invitus abibo.
Nolim deterius, nec ſperare aurea ſæcla,
Proxima ſentinæ nobis permiſcrit ætas.

Eſt operæ pretium verba Jani Gruteri recordari, quæ habet in Epiſt. CXXII. ad Joh. Kirchman. earum, quas Cl. Dn. Petr. Burmannus è Bibliotheca Gudii edidit Ultrajecti anno M. DC. XCVII. in 4to p. m. 205. *Gratiſſimum fuit intelligere nondum ſtrangulata eſſe inter plurium manus Caſelii monumenta; & næ tu Philologis eximiam navabis operam, ſi verſus ejus, ſi verſiones, ſi alia omnia produxeris in publicum. Ea propter ſane plurimum tibi debebimus omnes.* Et in Epiſt. præced. CXXI p. m. 205. *Ante XXXV. annos vivebat apud vos Apothecarius quidem manu, ſed mente Charitum Muſarumque myſta Joachimus Tegnagel. Obiit jam proculdubio, ſed in quos incidit Bibliotheca ejus? Obſervator erat ſingularis Caſelii noſtri, collegeratque lucubratiunculas ipſius curioſe nimis, quas vereor, ne unquam videamus publice, niſi inde depromantur, & merebantur præ mille aliis aliorum nugis adſpicere lucem, inquire, quæſo, & fave hac quoque in parte reipubl. literariæ.* Item Epiſt. CXXIII. p. 207. *Sed & tua nimis, quam laudabilis opera, qui Caſelii Carmina colligis. Quamvis Typographi hodie omnem deſpuant poëſin, ſperarem tamen aliquid impetrari poſſe ab Aubriis utique ſi quis inveniretur, qui centum exemplaria pretio librariorum redimere vellet. Et abſque eo, mi Kirchmanne, non eſt cur deſeras officium tam pium. Fata viam invenient ſcriptis tam doctis.* Epiſt. CXXIV. p. 208. *Læta narras de Caſelio: ſed de Aubriis nihil certi unquam extricabimus, niſi Exemplar ipſum antea ſuis oculis arbitrati fuerint. Compararunt ſibi librariam officinam*

officinam Marniorum integram. Itaque exhausti pecunia ad omnia sunt tardiores. Verum paullo post spero, redibunt ad ingenium. Si quid ab eis impetravero super Caselio, tecum communicabo. Epist. CXXV. p. 209. *Imo ipsemet Illustr. Dux Brunsvicensis dedit in mandato Conrado Hornejo Professori Philosophiæ moralis publico Helmstadii, colligendi edendique publicis sumptibus Caseliana. Scripsi ei de proposito tuo. Tu etiam, quæso, tua cum ipso communica, ut ita conjunctis operis animisque omnia prodeant plenius ornatiusque. Meretur id Caseliana Charis.* At præter duas partes, quarum I. Caselii Opera Politica, seu Περιπολιτικόν, Παράδοξα de Victu & splendore Principum, & Πολυτευσόμενον complectitur, II. vero scripta ejus quæ ad artem dicendi pertinent, Francofurti editas an. M. DC. XXXI. & XXXIII. in 8vo. nihil Conr. Hornejus postea, quod ego sciam, Caselianorum scriptorum evulgavit. Adservavi laudati ejusdem Caselii Græcum quoddam Epigramma ad Martinum Engelbrecht, JCtum Clmum, in honorem Conradi Horneii Brunsvicensis sub Georgio Calixto Helmæstadii, anno CIↃ IↃC X. de Syllogismo disputantis scriptum, quod ita habet:

Εὖ κέλεται πράττειν ὁ Κασήλιος Ἀγγελίωνα,
Ἀστρείας ἱερῆα, Ἀθηναίης τε Προφήτην.
Τοῦτο δὲ κ' ἀπόλλωνος ἔχεις, ἐνὶ πᾶσι φιλόφρων,
Μυσοπόλοισι νέοις ἐπιτάῤῥοθος εὔχεαι εἶναι·
Εἰ δ' ὅ, τι μοι δοκέει καὶ σοὶ δόξει, σύγ' ἐρασοῦ
Παντοίης σοφίης Ορνήϊου οὐκ ἀμελήσεις,
Οἱ δείξας ἑτάρους μάλα γ' εὖ ὁράσοντας ὀπίσσω·
Ἰωάννης Κασήλιος.

§. V. Μνημονικὸν aliquod ἁμάρτημα observo his in Isaaci Casauboni verbis: *Ut hoc loco,* scribit in ad Matth.

Matth. XXIII. 15. notis, p. 388. υἱὸς γεέννης dicitur, *sic alibi* υἱὸς ὀλέθρου *vocatur Judas Iscariota, homo perditissimus & perditioni devotus.* In universo enim Novi Testamenti textu sacro authentico Iscariotes Judas non υἱὸς ὀλέθρου, sed ἀπωλείας vocatur Jo. XVII. 12. ubi quidem Nonnus Ponopolitanus priori utitur, dum ita παραφράζει· Εἰ μὴ δαιμονίου φθισήνορος υἱὸς ὀλέθρου· at non Sanctus Spiritus. Eumdem summum virum non inspexisse Varronem, hæc superius adductis quæ subjicit produnt: *qui est elegantissimus Hebraismus, Latinis non prorsus inauditus* : *siquidem Varro* inconstantiæ filium *dicere non dubitavit, de homine inconstantissimo quum loqueretur* ; *sicut Paulus* υἱοὺς τῆς ἀπειθείας *vocat homines inobedientiæ. Ad* Eph. V. 6. *& alibi quoque.* (Eph. II. 2.) Nam Varro non hominem inconstantem sed τὸν μεταμέλον, hoc est, *pœnitentiam* inconstantiæ filium dixit. Verba Varronis legere est apud Nonium Marcellum in *Bivira*, p. 38. edit. Paris. CIƆ IƆ LXXXIII. in 8vo quæ ita habent: *BIVIRAS quas usus viduas adpellat.* Varro, Lege Menia: *Ad Biviram venio, cum vellem ostendere quid vellem, Metamelos inconstantiæ filius me reprehendit.* Atque hoc nihil est novi, si id, quod inconstantiam sequitur, hoc est, pœnitentia inconstantiæ filius vocetur. *Est id genus quoddam metaphoræ*, ait Jo. Vorstius Part. II. Philologiæ sacræ de Hebraismis Novi Testam. cap. XXIV. p. 53. *quod in scriptis tum Latinis, tum Græcis passim occurrit, neque cum superioribus Hebraismis ullo modo est comparandum.* Plura de Casaubono dixi Part. III. Animadversion. cap. II. §. X. p. 75. s. cap. IV. §. VII. p. 169.

§. VI. Joh. Dallæus, *à quo*, judicio Ludov. Molinæi in Præfat. Apolog. Parænes. ad Ædific. Imperii

rii in imperio, *nihil hactenus prodiit, quod non esset judicii acerrimi, eruditionis reconditissimæ, & doctrinæ sanctissimæ*, ut evincat, *depravationes in monumentis sacratissimis & maxime publicis, cujusmodi fuere Ecclesiæ Liturgiæ & similia, locum habuisse* : adducto Masii in hanc rem testimonio subjicit in p. 67. libri I. de Usu Patrum cap. IV. edit. Genev. CIↃ IↃC LV. in 4to. *Sic etiam Cassander, qui innocentissime in Antiquitate versatus est, agnoscit, & ex aliis auctoribus probat, veteribus Liturgiis multa paullatim addita fuisse.* In margine adpositum est, *Cassander in Liturg.* cap. II. At in illo capite mei quidem exemplaris, Liturgicorum videlicet Cassandri, illud hactenus reperire non potui, nec memini me tale quid in Cassandro unquam observasse. Ceterum non decebat Jacobum Gretserum Jesuitam in Labyrintho, p. 103. *tanti pendere* Cassandrum, *quanti Cassandram Priami filiam.* Sed non obscurum est, unde hoc proficiscatur odium. Henricus Bullingerus sane non semel ad Cassandrum, quia neutri (sicut ipse loqui amat) parti se addixerat, provocare in nonnullis minime dubitavit; eumdem *veræ pietatis pariter & eruditionis studiosissimum, virum doctissimum, fratrem charissimum* vocavit; *eum se amare, & propter pietatem & litteras, neque minus cupere vicissim ab eo amari* professus est. Quodque his omnibus fortasse majus fuit, ejus & sanctorum precibus candide & sincere se commendavit. Et hic est ille Bullingerus, quem & eruditione & candore nemini secundum in elogiis pronunciavit Beza. Plura forteque non omnino contemnenda de Cassandro adduximus in parte I. Methodor. nostr. n. XIII. cap. IX. (qui numerus vitio Typographi omissus est.) §. 24. p. 534. s. De Dallæi vero citato libro in Icone Theologorum Presbyterianor. anno M. DC. LXXXII. in 12. edito, p. m. 13. & quidem ad verba If. Casauboni in Epist.

ad

ad Joan. Drusium, Lond. XV. Kal. Octobr. 1612. *Leguntur Patres ut reprehendantur*, hæc notat Cl. Paulus Colomesius Rupellensis: *Hoc vel abunde liquet ex Dallæi libro de Usu Patrum. De quo quid sentiret Hagæ-Comitis olim à me rogatus Is. Vossius, Vir egregius, in hæc verba respondit: Miror Dallæum, Virum in Antiquitate Ecclesiastica versatissimum ad revelandam Patrum nuditatem eruditione sua usum.* Quasi Vossius tam reverenter Sanctos semper & Patres habuisset. At hoc non eo spectabat, sed ut modo, quod solitus erat, quid carperet, ne Dallæus solus abiret sine nota.

§. VII. De manumissione, cum non ita multa scriptores apud occurrant, rogati de ea, dicimus cum Dn. D. Johan. Strauchio, JCto, & Antecessore Salano, Dissertat. Canonicar. III. cap. II. §. XX. s. tres ejus, cum religio primum Christiana in Occidentem propagaretur, fuisse modos: nempe per denarium, ante regem; deinde in Ecclesia; & denique per Epistolam privatam. Manumissio per denarium ex L. Salica fiebat, auctoritate Regis, eoque præsente, excusso numo de manu servi, qui manumittendus veniebat, per manum domini vel cujuscumque alterius, ut docent Veteres formulæ apud Franciscum Pithœum loco mox citando: *Inde quemdam servum N. ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus rogarunt. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supra dicti N. denarium, vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel mimam.* Et in veteri charta Ecclesiæ Lugdunensis apud eundem Pithœum ad L. Salicam, *Tit.* 28. p. 106. edit. Paris. M. DC. II. in 8vo. *Servum juris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium, secundum L. Salicam liberum cum omnibus, quæ habet vel acquisiverit, fecimus.* Est simile exemplum, quod profert Bignonius doctissimus ex Tabulario Martini Turonensis, quod ita habet,

habet, *Carolus Imperator Augustus &c. Adalgarius Levita petiit, ut Imperiali more præceptum fieri juberemus. Decernimus, ut more prædecessorum nostrorum Imperatorum & Regum in manu ipsius Leutharti denarius excutiatur, ut à præsenti die idem Leuthartus semper & ubique omnibus locis liberatus valeat uti propria potestate absque alicujus resultatione aut contradictione, & quoque ei libuerit, omnibus modis liber, & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per nostram autoritatem pergat. Hanc præceptionem manu nostra firmavimus, & annulo nostri Imperii sigillavimus. Amalbertus Notarius ad Vicem Autberthi Archicancellarii. Data XV. Kal. Julii. Anno incarnationis Dominocæ DCCCLXXXVI. Indictione V. Imperii Caroli VII.* Equidem hoc caput Legis Salicæ hodie non extat, fit tamen ejus mentio *Tit.* 28. p. m. 26. *Si quis servum alienum ante Regem per denarium ingenuum dimiserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud. & capitale in locum restituat, & res servi ipsius proprius dominus recipiat.* Etiam de hac manumissione est titulus in L. Ribuaria *Tit.* 59. Et apud Marculphum *lib.* II. *cap.* XXII. habetur formula talis.

Præceptum Denariale.

Et quia Apostolicus, aut inlustris vir ille servum suum, nomine illum, per manum illius ad nostram præsentiam jactante denario secundum L. Salicam dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem firmamus: Præcipientes enim, ut sicut & reliqui mansoarii (Mansatii. Ita dicebantur qui alias coloni, colonarii) *qui per talem titulum à jugo servitutis in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & à modo memoratus ille per nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, perennisque temporibus cum Dei & nostra*

nostra gratia valeat permanere, bene ingenuus & securus. Et talis manumissus dicebatur *Libertus denarialis.* Benedictus Levita Capitularium *lib. VI. cap. CCVIII.* ex Pipini Italiæ Regis legibus tit. X. *Homo denarialis non antea hereditare sua agnatione poterit, quum usque ad tertiam generationem perveniat.*

§. VIII. Ad Manumissionem in Ecclesia quod attinet, fiebat illa per chartam seu tabulam. Extat ejus formula inter formulas Legum Romanarum, quæ ita habet:

Ingenuitas.

Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, in futuro apud dominum sibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, pro remedio animæ meæ & æterna retributione servum juris mei, nomine Illum, ingenuum esse præcipio, & in sacrosancta Ecclesia beatissimi Sancti illius, sub præsentia Sacerdotum ibidem consistentium ante cornu Altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo, ita, ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, eat, pergat partem, quam maluerit, & sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicunque alii personæ quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt, vel pro cujus amore ipsum devotus obtuli, patrocinium & defensionem cuicunque se elegerit, in omnibus illius perfruatnr arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc ingenuitatem venire, aut eam refragare præsumserit. illud, quod repetit, non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, sol. LX. *componat: & præsens ingenuitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa, omnique tempore maneat inconvulsa.*

§. IX.

§. IX. Denique per Epistolam privatam manumissio legibus Romanis quoque fiebat. *l. qui absenti.* 38. *ff. de A. P. Cajus lib.* I. *Inst.* Necessum vero erat, ut adhiberentur ex Constitutione Justiniani quinque testes, qui cautioni hujus manumissionis à domino scriptæ vel signatæ subscriberent. *l. un.* §. 1. *C. de Lat. lib. toll.* Et hoc modo manumissi dicebantur *Liberti Chartularii* & *Tabularii*, ut & qui in Ecclesia servitute liberati fuerant. Capitul. *lib.* VI. *cap.* CCVIII. Formula talis est *lib.* II. *cap.* XXIII. apud Marculfum.

Ingenuitas à die præsente.

Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, mercedem in futurum apud dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, & conjux mea illa pro remedio animæ nostræ vel retributione æterna, te illum, aut illum, ex familia nostra, à præsenti die, ab omni vinculo servitutis absolvimus. Ita, ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & nulli heredum ac proheredum nostrorum, vel cuicunque servitium, nec libertinitatis obsequium debeas, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt: peculiari concesso, quod habes, aut deinceps, elaborare potueris. Si tibi necessitas ad tuam ingenuitatem tuendam, contigerit, absque ullo præjudicio ingenuitatis tuæ, defensionem Ecclesiæ, aut cujuscunque te eligere placuerit, licentiam habeas, & vitam semper bene & integre ducas ingenuam. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, vel quælibet opposita persona contra hanc ingenuitatem tuam venire aut eam infrangere conaverit, aut te in servitio inclinare voluerit, divina illum ultio subsequatur, & à limitibus Ecclesiarum, vel à communione extraneus efficiatur. Et insuper inferat tibi cum cogente fisco auri lib. I. *& quod repetit vindicare non valeat, sed præsens ingenuitas*

omni

omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Porro quibus formulis apud Romanos servi fuerint manumissi, præter alios docte ostendit Barnabas Brissonius, Consiliarius Regius, ac Curiæ Parisiensis Præses, Vir de litterarum studiis non male meritus, adeoque meliori dignus exitu, in de Formulis ac solenn. P. R. verbis lib. VIII. p. 827. qui videndus. Uti & Mich. Piccartus, Francus, Professor Noricus Orat. XII. tota, p. m. 216. f. edit. Lipsiens. 1614. in 8vo. Quo ritu servi apud Hebræos sive in anno Sabbatico sive Jubilæo dimissi, disquirit M. Joh. Fridericus Gerhardus, Magni illius Johannis Filius, in Exercitatione de Jubilæis Judæor. ac Pontificum Roman. cap. IV. E. 3. Jenæ M. DC. LVIII. edita, Item Jo. Seldenus VI. de Jure Nat. & Gent. cap. VII. & VIII.

§. X. Quandoquidem in etymo *Legis Salicæ* paullo ante à nobis memoratæ non conveniunt eruditi, dabo è notis, quas Vir doctus manu sua Libri Legis Salicæ Fr. Pithoei Parisiis, ut §. VII. diximus, editi adlevit oræ, sequentia: *Origenem & Etymon hujusce* Legis Salicæ *quidam volunt à sale deduci, quod sale multo, id est, prudentia condita videatur* Lex Salica. *Alii ajunt, debere eam dici Gallicam legem, non* Salicam; *vocemque esse corruptam. Sed invita, meo judicio, Minerva hæc comminiscuntur; putarimque non aliunde eruendam esse hanc vocem, quam à Sala flumine Germaniæ, cujus accolæ vocarentur olim Salii sive Salici,* (Vide Althamerum in Taciti Germaniam. Philippus Cluverius tamen tertio Germaniæ Antiquæ cap. XVII. p. m. 60. edit. optimæ Lugdun. Batav. Elzevirianæ CIↃ IↃC XVI. ab *Isala* censet sic adpellatos Salios fluvio, qui antiquitus *Sal* dictus) *in quos Francorum erat imperium dictum Orientale, & quod in Gallos, etiamnum florentes, habebant Occidentale. Apud Salios autem illos lege statutum erat, ne sequior sexus Imperio potiretur. Hinc dicta*

Lex

Lex Salica, *qua nihil religiosius observatur apud Franco-Gallos.* Hoc Vir ille eruditus Codicis olim sui, nunc mei, margini adscripsit & quidem p. 90. ubi Pithœi habetur Glossarium sive interpretatio obscuriorum verborum quæ in Lege Salica habentur. Dicti Glossarii principium hoc est: [*Legis Salicæ*] *Francorum, quos consuetudo Salios vocitavit, sicut Amm. Marcell. scribit. Fortasse à saliendo. Sidon.*

——————————— Tibi vincitur illic
Cursu Herulus, Chunnus jaculis, Francusque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Et in prologo harum legum : Gens Francorum inclyta, fortis in armis, audax, velox & aspera. Lex simpliciter dicitur, Synod. Cabillon. & Rhemens. videantur. Ado Einardus, Ottho Frising. Sigebertus, Trithemius, & Nicol. Vigner. libell. cui titulus est : Traicté de l'estat & origine des Anciens Francois. Hæc Pithœus. Locus Ammiani ab ipso adductus habetur libr. XVII. cap. VIII. *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo* Salios *adpellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter.* Ad quæ verba *consuetudo Salios adpellat* Fridericus Lindenbrogius (ita enim nomen ejus est, quamvis & se Lindenbruchium vocet in epistola ad Fr. Pithœum ICtum Libro Legis Salicæ præmissa, at quod Matth. Martinius Col. 3316. Etymolog. edit. Bremens. M. DC. XXIII. Lodenbrogium vocat, inter menda ejus libri Typographica refero, non ab re vero ibidem Martinio *Clarissimus JCtus & Philologus honorandusque amicus* Lindenbrogius est, uti mox vero suo nomine adpellat) hæc adnotavit: *Zosimus* lib. III. Τὸ Σαλίων ἔθνος, φράγκων ἀπόμοιρον. *Vide quæ ad Legem Salicam notavit Francisc. Pithœus* JC. *Vir vere doctus* :

doctus: cujus exacta diligentia factum, ne quid impræsentiarum his addere velimus. Ceterum censuit & Alciatus à *Saliis Legem Salicam* dictam, quæ nimirum mulieres à successione arcet, ne per connubia & adfinitates, peregrini ad regni successionem aditum sibi faciant. Vide hic Optimum Matthiam Berneggerum Halstadio Austrium ad Suetonii Jul. Cæsar. cap. XXII. p. 41, 42. Ad Pithœum disputat his verbis Philippus Cluverius d. l. « Nec tamen nescius ego « sum, esse doctissimos etiam viros, qui Salios non à « dicto flumine, sed à saliendo dictos contendant: « idque ex hoc Sidonii versu;

« *Sauromates clypeo, Salius pede, falce Gelonus.*

« item ex his Marcellini verbis: Petit primos omnium « Francos; eos videlicet, quos consuetudo Salios ap- « pellavit. Certe argumentis illi contendunt opido « quam infirmis; utique posteriori hoc, ex Marcelli- « no adducto, utrique ego unam hanc rationem op- « posuerim, quod haud facile, imo nullo modo fie- « ri potuerit, si Romani Germanicæ hostilique gen- « ti nomen à saliendo imposuissent, uti id apud ipsos « Germanos, non modo in gentem, sed etiam in so- « lum, & in flumen abiret; præsertim, quum, post « exortum Francorum nomen, nullum heic Romani « habuerint imperium. Hactenus Cluverius. Adde & Hadr. Junium in Bataviæ Historia, cap. VIII. p. 100. 102. s. cap. IX. p. 138. s. 143. s. p. 186. s. edit. Dordrecht. CIↃ IↃC LII. in 12. Item Martinii Etymolog. col. 3316. Voc. *Salicus*, & col. 1338. Voc. *Salius, a, um.*

CHAP.

CAPUT VI.

§. I. CUM ab elegantissimæ eruditissimi B. Jac. Thomasii Præfationis, Tractationi de Polymathia Joann. à Wower præmissæ lectione aliquando recens eram, incidebam in MSS. mea, & dum aliud quærebam, obserebat se mihi, inter cetera plura inedita † quædam Jos. Scaligeri epistola, quam, quia non parum tanti Viri, Wowerii scilicet, famæ, & dictæ confert Præfationi, ut à blattis & interitu

† Ita putavi. Sed male. Inveni enim eam, licet nimis sero, lib. III. Epistolar. Scaligeri, n. CCLX. p. m. 547. edit. Lugd. Batav. M. DC. XXVII. in 8vo. quæ tunc non ad manus. Neque tamen omnino frustra sumsi hanc operam, cum Wowerii nomen è MS. addiderim, in Scaligeri editis omissum. Invenies quoque nonnullam differentiam, licet levem. Ego maximo studio semper exhibere curo αὐτόγραφα, prout sunt; quod in dicta editione minime factum esse, ipsa ad Lectorem Præfatio docet. Incidi nuper magno meo bono in egregium quoddam Epistolar. Scaligeri exemplum, quod Vir doctus quispiam manu sua totum correxit, & notis in margine positis nonnusquam auxit, ac ut in principio libri scripsit, novæ editioni paravit. Hoc nunc utor, & si desiderabitur, non negabo Typographo; quin & plures addam Scaligeri epistolas ineditas, quas in scriniis meis servo. Hæc scripseram, cum adferretur epistola Rotterodamo Clarissimi mihique amicissimi Viri, Dn. Petri Bælii, in qua eruditionis & humanitatis eximiæ Vir me monet, Lipsii epistolam ad Calcem Partis II. Methodorum à me Lugduni Batav. anno M. DC. XCVI. in 4to editæ positam & pro inedita habitam reperiri in L. illis Lipsii ad Leeuwium Epistolis, quas hic Lugduni scil. Batav. anno CIↃ IↃC XLIX. Boxhornius edidit. Quod Lectorem celare nolui.

vindicare possem, ab eo optavi tempore, Voti nunc damnatus, ex ipsius Scaligeri MSto, quod ex illustri ad me pervenit Bibliotheca, eam hoc modo habentem in tui gratiam Lector candide hic adpono.

Jos. Scaliger Everhardo Elmenhorstio S.

NIHIL est, quod magis nos commovet, quam id, quod inopinato accidit: neque ullius injuriæ major dolor est, quam illius, qui ab eo proficiscitur, a quo minime tale exspectabas. Nudius tertius quidam utrique nostrum notus convenit me, qui diceret, se ab amico accepisse, magnas inter te & Wouwer. * simultates ortas esse, idque tua, non illius culpa, propter Minutii editionem. Tolerabile id

* De Wouweriis, altero Hamburgensi, auctore Polymathiæ; altero Belga, h. e. Antuerpiano, probe distinguendis; at ab Andrea Schotto Jesuita non indocto in notis ad Proverbia Græca p. 86. & in notis in Procli Chrestomathiam, p. m. 15. edit. Hanoviens. M. DC XV. in 4to confusis vide Colomesii Κειμήλια Literaria, (cap. II. p. 2, 3.) & Joan. Jonsium Holsatum, lib. II. de Scriptor. Hist. Philos. cap. XVII. p. m. 205. Joannis Wouwerii (ita enim video eum vocari & scribi) Antuerpiensis Panegyricum Austriæ Serenissimis Archiducibus, Belgice scriptum habeo Antuerpiæ editum, M. DC. IX. in 8vo. nactus eum è Bibliotheca Gisberti Lappii, magni illius JCti Ultrajectini; qui & addi curavit Petri Roverii Avenionensis Jesuitæ, Panegyricum Henrico IV. Franciæ Regi dictum cum notis & Primigeniæ ac revertentis fortunæ Characteribus. Elogioque Historico roboris ac succi, ut dicitur, pleno laudati Henrici IV Gallice in Gallia primum, post Latine doctiss. à Belga verso, ac edit. Antuerp. M DC. X. Justus Lipsius, Cent. I Epist. ad Belgas, n. XLI. p. m. 38. s. edit. Antuerp. CIↃ IↃC V. in 4to, utrumque probe distinguit: *Janus VVouerius*, inquit, *cognominis tuus, si non Gentilis, quam bona tecum fœderatio! Optimum par, nec vel dii dederint magis ex usu aut ex voto. Modestiam & probitatem in eo adolescente semper amavi; & ut vidi primum (Hamburgi id fuit*

id quidem, si sola intercesserit parium studiorum contentio, *ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι*. Sed longe diversam caussam narrabat, qui (*id* abest in Mscra, sed in edita addita) nobis retulit, quæ, si vera est, nunquam invenies homines tam oblitos judicii sui, (in edit. est: *nunquam tam oblitos judicii sui homines invenies*) qui eam probare possint. Convenio conscientiam tuam, si tu hac in re meliora præstare potes (in edit. *possis*) quam ille, qui tibi & ætate & rerum usu longe antecellit. Tu nisi verum odisti, negare hoc non potes. Sed ego hæc non tanti facerem, nisi major cura me ureret. (Hic in edit. habes punctum. *Ausum te* ** *dicere, ejus me ingenium extenuasse verbis.*) Te ausum Wouwero dicere, me ejus ingenium vere extenuasse: quod quam falsum sit, neminem alium præter te, testem adpellem. Ut ego adeo insaniverim? Ut illa cæcitas mentem meam incesserit? (in edit. est: *ut mentem cæcitas incesserit?*) Quid de te suspicari, imo quid arbitrari debeo, qui de me talia senseris? (in edit. *qui ita de me senseris?*) Quis Wouwerum (in edit. *virum illum*) magis tibi commendavit, quam ego, quis magnificentius de ejus (in edit. *eo*) ——— ** sensit, an scires tu eum tantum esse,

---

fuit ante annos novem) una laudatum illam indolem ivi. Vivat, crescat, & lampada à nobis in hoc cursu jam fessis accipiat: me libenter & judicio tradente. Fuit vero noster ille Hamburgi natus Patre Nicolao, ob persequutiones in Religione è Belgio profugo, Antuerpiani illius, ut recte putat Lipsius, Gentilis, inlustri Baronum stirpe oriundus. Antuerpianus vero ille est, apud quem Lipsius Bibliothecam & scripta sua testamento, usque dum adolesceret heres, deponi jussit, teste Auberto Miræo in Elogio Lipsii.

** Alibi ipse ille Scaliger apud Oporinum Grubinium (vel potius Casp. Sciopp.) in Amphotid. Scioppian. p. m. 60. edit. Paris. CIϽ IϽC XI. hunc Joann. Wouwerium

esse, (in edit. *An tu tantum esse eum scires*) nisi ego tantum prædicassem? Non possum facere, quin hanc injuriam tecum (in edit. *quin tecum hanc injur.*) expostulem. Aut purga illam, aut noli nostra amicitia abuti. (in edit. *aut abuti amicitia nostra noli.*) Vale VII. Kal. Aprilis (in edit. *Juliani*) CIↃ IↃC III. Juliani. *Inscriptio.* Ornatissimo Juveni Geverhardo Elmenhorstio. Hamburgum. Contuli, & differentiam adscripsi etiam levissimam, ut adpareat quam minus accurate ac diligenter editor suarum partium sategerit. In aliis quoque hujus Scaligeri ut & Casauboni, quas cum MSS. contuli, magni non raro momenti reperi discrepantias; de quibus alibi forte dicam.

§. II. Errat Libertus Fromondus Insignis Ecclesiæ Collegiatæ B. Petri Lovanii olim Decanus, Suæ Theologiæ eadem in Academia Doctor & Sacræ Scripturæ Professor Regius, Herculem Alenzonium pro Francisco Andium duce substituens in quinto Meteorol. cap. I. Art. IV. p. m. 340. edit. Lovaniens. CIↃ IↃC XLVI. Verba ejus sunt: *Bodinus l. II. Theatri tam durum se fuisse scribit, ut nihil umquam se moverit, etiamsi septies in Oceano, & mediis turbinibus, ubi alii sanguinem etiam vomebant, navigaret. Credo, cum in Angliam procatum, pro principe suo Hercule Duce Alenzonio, ad Reginam Elizabetham itabat, quando pro Bodino solebat eum Regina Magistrum Joannem Badinum appellare.* Errat, dico. Franciscus enim, cum ardentissime nuptiis Elisabethæ Angliæ reginæ inhiasset, magnamque earum spem concepisset, ab illa delusus est tandem, non vero iste. Sic enim hac de re Jo. Bodinus (huic qui se Francisco Duci à consiliis fuisse

hominem sibi *ob excellentes ingenii dotes charissimum* vocat. Habes & ibi quamdam Celeberrimi Jo. Caselii ad Gasparem Scioppium epistolam; quod ne fragmentorum Caselianorum studiosi nesciant, addo.

in

in IV. de Republic. cap. II. p. 658. item in lib. VI. cap. V. p. 1163. edit. Francofurt. CIϽ IϽC IX. fatetur) dicto loco in p. 1164. scribit: *Illæ* (reginæ) *spirantes homines contueri, alloqui, tentare diu volunt, ac sæpissime visos respuunt: ——— ut ——— contigit Francisco Andium Duci ——— qui tametsi bis in Angliam trajecisset, & legationibus honorificis ac diuturnis reginam sibi desponsam putaret, inani tamen spe lactatus, re infecta discessit.* In eo forte quoque, dictus quod Fromondus subjicit ibidem, ac si Bodinus *pro domino in Angliam procatum ipse suo iverit*, nimis liberalis est. Nam etsi legationis suæ pro Francisco Andium Duce, anno CIϽ IϽ LXXXI. susceptæ in Angliam ipse meminit ibidem Bodinus, p. 1132. conjugalis tamen negotii mentionem minime adjicit; ut mirentur eruditi, quomodo horum mandatorum conscius factus sit Fromondus.

§. III. Mentione superiori paragrapho Bodini facta notamus eumdem hallucinatum fuisse, cum primo de Republ. cap. VIII. p. m. 125. (utor autem editione, quam dixi, Francofurtana quinta anni CIϽ IϽC IX. in 8vo optima) scribit: *Dictator Papirius Fabium Max. I. ac Fabius Max. II. Minucium equitum Magistros, quod contra mandatum Dictatorum dimicassent, capitis damnarunt: qui tamen ex provocatione populi, judicio liberati sunt. Sic enim Livius lib. VII.* (lege VIII. cap. XXXIII.) Tum pater Fabii, Tribunos *inquit* appello, & provoco ad populum, qui plus quam tua dictatura potest, cui rex Tullus Hostilius cessit: Hæc Bodinus. De Dictatorum origine, creandorum caussis, potestate, decremento & memoria ultima post Onufrium, Sigonium, Lipsium, & Pighium nihil habeo quod dicam, cum nulla aut certe pauca ad spicilegium reliquerint. Sed Livius plane non stat hac in re à Bodino. Licet enim Fabii Pater ad Tribunos plebis adpellaret, & ad populum provocaret:

 Dictator

Dictator tamen adſeveranter in propoſito ſuo permanens dixit: *ſe perſtaturum in incepto: nec ei, qui adverſus dictum ſuum turbatis religionibus, ac dubiis auſpiciis pugnaſſet, quidquam ex juſta pœna remiſſurum.* Liv. l. VIII. cap. XXXIV. 5. Donec tandem magnis populi Romani precibus, Tribunorum inſtanti interceſſione, Patris Filiique Fabiorum ſupplicibus manibus commotus atque Dictator victus ſilentio facto ita ſe explicarit: *Bene habet, Quirites, vicit diſciplina militaris: vicit imperii majeſtas, quæ in diſcrimine fuerunt, an ulla poſt hanc diem eſſent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit; ſed, noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur Tribuniciæ poteſtati; precarium non juſtum auxilium ferenti.* Livius, lib. VIII. cap. XXXV. 4. Quid? quod Bodinus ſemetipſum contemnere videtur, quando libro de Republ. III. cap. II. p. 420. ſcribit: *Quid præclarius unquam aut ſempiterna gloria dignius fieri potuit, quam à Fabio equitum magiſtro Papirii Dictatoris factum eſt? Is enim viginti millia hoſtium centum civibus tantum amiſſis internecioni dedit, ſed quia vetante Dictatore in hoſtem invaſerat, capitis poſtulatus eſt, nec aliter, quam Dictatore placato populi precibus ſupplicium evaſit.* Et hæc Andegavenſis ille Gallus. Sane de ſententia Livii, VI. XVI. 5. *nec adverſus dictatoriam vim aut tribuni plenis, aut ipſa plebs, attollere oculos aut hiſcere audebant.* Magis tamen è ſimilitudine poteſtatis, quam è conſuetudine loquendi Romana dicit Ampelius p. m. 22. *perpetuam Cæſarum dictaturam* dominari *poſt conſecrationem Julii Cæſaris Auguſti.*

§. IV. Sicuti non pauca bonæ frugis Commentarius continet Johannis Vorſtii de Hebraiſmis Novi Teſtamenti, Amſtelodami anno CIƆ IƆC LXV. ſatis vitioſe impreſſus: ita & copioſam reprehenſionis ſegetem & materiam. Alio loco plura adferemus, hic unico

unico erimus contenti. In libro I. cap. XIV. p. m. 359. scribit: *Vox Hebræa* פנים *redundat quos* (lege *quo*) *ad propositionem* על *ubi hæc significat* Præter. *Exemplum Exod.* xx. 3. Non erunt tibi Dii alii על פני præter faciem meam, *hoc est*, præter me. *In quam sententiam recte verterunt Interpretes Græci*: οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. *Vocula* על *hic nec* coram, *nec* ante *significat*, *sed* præter. *Vox* פנים *autem planissime redundat.* Potuisset & hac pro expositione adducere Chaldæum, Syrum, Arabem & Rivetum. Atqui DEUS verus non continetur sub diis alienis, ut sub illis possit excipi. Excipere vero hic Logici nihil aliud esse dicunt quam à toto partem detrahere, ut ita ad exceptivam proprie dictam requiratur (1) ut subjectum sit aliquid commune, seu latius, re excepta, aut totum distributum, à quo & sub quo fieri queat exceptio; adeoque (2) contineat plura, quorum aliqua excipi queant: (3) ut id, quod excipitur, contineatur etiam sub subjecto propositionis exceptivæ. Si vero Vorstius hic *præter* non pro *extra*, *nisi*, *excepto*, sed pro *contra* sumsit, ut sensus sit, *non habebis deos alienos* contra *me*, id est, contra obedientiam mihi & præceptis meis debitam, cum Ainsw. tolerari potest explicatio, cum apud bonos auctores non infrequens sit ea significatione usurpare *præter.* Cicer. in Orat. pro Lege Manil. cap. XXI. *Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus à Senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari?* Terent. Andr. II. VI. 5. *Præter spem evenit* ——— ubi Donatus: *Præter, pro contra, ut, Præter ætatem tuam.* Legitur hæc dictio, *præter ætatem.* i. e. ultra vel contra, in eodem Terent. Heaut. I. I. 7. & in Hecyr. II. I. 29. ——— *Præter æquom atque ætatem meam.* Item in Adelph. I. I. 39. *Nimium ipse est durus,*

durus, præter æquomque, & bonum. Sic in Andr. IV. I. 55. al. 49.) *Tuum 'st, si quid præter spem evenit, mi ignoscere.*

§. V. Reprehensurus idem Vorstius Gerhardum Titium ob usurpatam phrasin, *quod me attinet*, pro, *quod ad me attinet*, in de Latinitate merito suspecta, cap. XIX. p. m. 174. scribit: *Alius* Titius, *cui prænomina sunt* Johanni Petro; *quique amicus noster est* (quod addere omnino intererat, ne nesciremus Gerhardum Titium ipsius adversarium fuisse) *in Manuductione ad excerpendum, recte monet, veteres semper Præpositionem addere, & dicere,* Attinet ad me, Attinet ad eam rem. *Et est sane ita, ut alter ille Titius monet.* Hæc Vorstius: At Valer. Maxim. I. I. 14. sine *ad* usurpat. *Sed in his quæ custodiam religionis attinent.* Ita enim habet non solum editio Francofurtana anni M. DC. I. in 8vo. quæ textum à Stephano Pighio emendatum, & ad vetustissimum Viri. Cl. Petri Danielis JCti exemplar conlatum exhibet: sed & Lugdun. Batav. Hackiana anni CIƆ IƆC LXX. MSS. inspicere non datur. Antiqua tamen Mediolanensis anno M. D. VIII. in fol. & Antuerpiana CIƆ IƆ XCI. in 12. impressa, ne quid dissimulem, habent ad. *Sed quæ ad custodiam religionis attinent.* At his editionibus non multum tribuunt eruditi. Utut sit in defectu perfecti alicujus Lexici & indicis omnium vocum & phrasium Romanarum nimis temeraria semper mihi quorumdam visa sunt universalia effata hanc vel illam vocem, vel phrasin, vel acceptionem, vel constructionem nunquam apud Romanos inveniri, sed semper talem vel talem. Consummatis Philologiæ Professoribus id rarius excidit, ii enim cautius famæ suæ consulunt, imparatissimi à lectione confidentissime scribunt. " *Neque enim tam facilis est censura Romani ser-* " *monis,* auctore Philippo Caroli in Animadvers. in

" Agellii

"Agellii lib. V. cap. XXI. p. 323. f. ut sibi *Nizoliani* "*fratres* persuadent, cum eruditissimos etiam viros, "& hujus provinciæ præcipuos Dynastas hic errasse "compertum sit. Ecce enim *J. Cæsar Scaliger* in Car- "dano damnat verbum *restaurare*, quo usus tamen "est *Tacitus*, usus *Justinus*, usus nostra ætate *Cujacius*; "quodque non solum semel *marmora* Romanissima "præferunt. *Cæsariem* de capillo *mulieris* * usurpa- "tam expungit Vir idem & princeps Illustriss. nec re- "vocat sibi in memoriam ita posuisse Virgilium, "quem extra omnem censuram posuerat. *Nubere* de "viro recte usurpari negavit filius ejus Josephus Sca- "liger, nec fuit ei in mentem, ita locutum esse cum "pluribus doctissimum togatorum Varronem. *Solæ- "cismum* nec Græce nec Latine probe dici, pronun- "ciavit *Agellius* lib. V. cap. XX. immemor, & *Ari- "stotelem* dixisse, &, quod magis est, *seipsum* in cap. "VII. lib. I. Usus est eodem verbo *L. Satyricus* & "*Martialis*, *Ausonius*, *Tertullianus adversus Valent.* "cap. IX. *Cadaver* bestiarum, non hominis esse, ho- "noris causa non nominandus contendit; de ho- "minis autem defuncti exuviis *corpus* usurpandum. "Ille vero non cogitabat *tit. de cadaveribus punitorum*, "& Ciceronem *cadaver P. Clodii* nominasse in *Milo- "niana*. *Nidulum* vel *nidum* usurparat *J. Lipsius* de "Oldenburgo. Eum ecce Aristarchus quidam vitu- "lum & sesquasinum convitiatus est, tanquam ne- "scivisset, *nidulum in convitio* tantum poni, & deho- "nestamento. At, ô Marce, tibi diutius ad subsel- "lia pædagogorum sudandum erat, dum disceres, "M. Tullium *patriam Ulyssis* ita vocasse, quæ non opi- "dulum, sed insula. Ita enim *lib. I. de Orat. cap. XLIV.*

* *Hinc Salmasii Epistola de Cæsarie virorum, & mulierum coma.* Lugd. Bat. CIↃ IↃC XLIV. in 8vo.

"ait:

" ait: *Ithacam, nidulum suum Ulysses immortalitati ante-*
" *posuit.* Accipe, quid ipsi Ciceroni evenerit. Re-
" prehendit ille in *III. Philippica*, cap. IX. dictionis
" genus hoc, *facere contumeliam*, in illis verbis Anto-
" nii: *Nulla contumelia est, quam facit dignus.* Ubi sic
" Cicero censuram fert: *Quid est facere contumeliam?*
" *Quis sic loquitur?* Ubi vehementer admiror, mutum
" esse Dionysium Gothofredum; utique in Terentiana
" *Eunucho*, V. II. 26. Thais sic loquitur: *Nam si ego*
" *digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus, qui*
" *faceres tamen.* Quæ verba omnino in animo habuit
" Antonius, quum hac phrasi uteretur. *Catonis* Ora-
" tione contra Cassium testimonium habes *lib. X. cap.*
" *XIV.* infra: *Atque evenit ita*, inquit, *ut in hac con-*
" *tumelia, quæ mihi per hujusmodi petulantiam factum itur,*
" &c. Similiter *Plautus* Asinar. II. IV. 83.

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

Vorstius sane tantum non potuit à lectione Romanorum quantum videri volebat. Superveniebat aliorum laboribus, addebat, demebat, corrigebat, inventisque aliorum fruebatur non propriis, ipseque parum de suo proferens omnia sibi fere vindicabat. Indices maximi Boecleri in Cornel. Nepotem & Cl. Freinshemii in Justinum multo pleniores reddidit hic Rector Scholæ Joachimicæ, quæ Coloniæ Brandenburgicæ est; at novos in Sulpicium Severum & Valer. Maximum, quos cum notis suis edidit, adornare indices, nimis laboriosum erat huic homini in labore remisso nimis, parumque patienti. Lege quæ de hoc multis tradiderunt B. Boecler. in Præfat. ad Lector. Vellejo præmissa, & Joh. Georg. Grævius itid. in ad Lector. Præfat. Justino præfixa. Non vituperamus ejus adjecta, sed quod ille ipse, nullibi non utilitatem indicum

dicum tam ample quam vere prædicans, nullos omnino ſuis abs ſe editis libris ſubjunxerit, eruditis vehementer dolet. Porro is à Vorſtio adductus Cl. Joh. Petrus Titius fuit eloquentiæ & Poëſeos in Gymnaſio Dantiſcano Profeſſor, cujus eruditi omnium in manibus verſantur libri. Vide quæ diximus Part. III. Animadverſ. noſtrar. cap. III. §. III. p. 97.

§. VI. Quam curate libros & auctores, gloriæ multæ lectionis avidi Jeſuitæ, cognitos habeant, docent hæc Philippi Labbei, Biturici, ſocietatis Jeſu Presbyteri verba, in parte I. Bibliothecæ Nummariæ, p. m. 34. edition. Lugd. Bat. CIↃ IↃC LXXXII. exſtantia. *Deſideratur ab eodem* (id eſt, Marquardo Frehero, JCto & Comitis Palatini ad Rhenum Conſiliario) *ſcriptus, ut perhibetur, liber, inſcriptuſque Pomponius, ſive de numiſmatibus veteribus & re monetaria.* At non deſiderantur, ſed ſunt in promptu & medio libri duo dicti Freheri de Moneta veterum Romanorum, & hodierni apud Germanos imperii, jam tum anno CIↃ IↃC V. Lugduni in 4to editi.

§. VII. Non ſatis circumſpecte, meo quidem ſcripſit judicio, doctiſſimus Ger. J. Voſſius in 1. de Idololatria cap. XII. p. m. 50. b. edit. optimæ Amſterdamenſis apud Joan. Blaeu M. DC. LXVIII. in fol. *Ex Plutarchi, in præclaris mulierum factis, verbis* (τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωικὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ ἐψηφίσαντο. *Cum Lampſacæ prius heroicos tribuiſſent honores, poſtea, ut ei, velut numini, ſacrificaretur, decretum*) *cognoſcimus, ſacrificium non fuiſſe in honoribus heroicis, ſed divinis.* At non ſolum Deos ſed & indigenas heroës, qui ceu dii habebantur, colendos eſſe tertius Athenienſium legiſlator Draco ſanxit apud Porphyrium in de Abſtinentia libro IV. Καὶ Δράκοντος, inquit, in ipſo fine, νόμος μνημονεύε-

νένεται τοῖϐτ⊙· θεσμὸς αἰώνι⊙ τοῖς Ατθίδα νεμομένοις, κύει⊙ τὸν ἅπαντα χρόνον· Θεὺς τιμᾷν, κ̀ ἥρωας ἐγχωρείϐς, ἐν κοινῷ, ἑπομένϐς νόμοις πατρίοις· ἰδία, κατὰ δύναμιν, σωὺ εὐφημίᾳ, κ̀ ἀπαρχαῖς καρπῶν, πελάνοις ἐπετείοις· *Et Draconis lex ejusmodi memoratur. Sanctio æterna Atticam incolentibus, quæ in omne tempus rata habeatur: Deos honorare, & heroas indigenas, communiter, secundum leges patrias: ac privatim, pro virili, cum fausta adprecatione, fructuumque primitiis, & libis anniversariis.* Oraculum apud Plutarchum in Alexandro clare jubet τιμᾷν Ηφαιςίωνα, κ̀ θύειν ὡς ἥρωι. In aureis Pythagoræ Carminibus jubenter homines primum honorare τιμᾷν ἀθανάτϐς θεὺς, idque ex lege, v. 1. inde observare colereque jusjurandum, σέβεσθαι ὅρκον· v. 2. postea, *heroas & dæmones subterraneos*, ἥρωας κ̀ Δαίμονας καταχθονίϐς sacris legitimis, ubi multi interpretes καταχθονίϐς Δαίμονας accipiunt, de vivis & terram incolentibus divinis viris. Hierocles insignis ille Philosophus Alexandrinus & aureorum Pythag. Carminum interpres eo loco p. 45. δαίμονας vocari dicit animas humanas excellentiores, ἀληθείᾳ κ̀ ἀρετῇ κοσμηθείσας, *veritate ac virtute præditas*, sed extra corpora, defunctorum jam hominum animas, at ex opinione Pythagoræorum in corpora rursus redituras. Cum Hierocle sentit Salmasius, quem vide in Præfat. ad Cebetem. Caussam cultus aperit Hesiodus I. ἔργ. 121. Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι —— ubi bono sensu ita vocantur homines aurei seculi, qui in numerum deorum sunt relati, ac tandem in tutelares permutati; vide

vide Jo. Tzetzæ notas in h. l. Dico *bono sensu*, ut ex occasione doceam lectorem, memoria forte labi doctissimum Joach. Camerarium in p. 40. not. in Homeri v. 190. Il. β. scribentem: *habet hæc vox* (δαιμόνιος) *apud Homerum semper aliquam* increpationis *significationem, sed non semper acerbam & quasi infestam.* Nam non semper ita esse, probabit v. 443. Od. ubi in laudem dici videtur de hospite Ulysse. Porro Locrensium legislator Zaleucus apud Stobæum, serm. XLII. p. 280. Deos primo loco honorandos proponit, Dæmones secundo; hinc Heroas, Parentes Leges & Principes: Μετὰ θεὺς, ait, καὶ δαίμονας, καὶ ἥρωας, γονεῖς τε καὶ νόμοι, καὶ ἄρχοντες συνεγγύς εἰσι ταῖς τιμαῖς παρ' ἀνθρώποις νῦν ἔχυσι. Ipso de opere dicto Vossii judicavit non male Cl. Dn. Daniel Georg. Morhof. 1. Polyhistoris Literarii cap. XXII. p. 244. his verbis: *Vossii liber de Idololatria & Physiologia Christiana inter Locorum Communium scriptores laudari debet. Penus hic panditur variarum rerum, ut Locorum Communium titulo insigniri omnino debeat, non tamen temere scriptorum, sed optimo judicio digestorum, quos sua industria ex rerum universitate conlegerit. Nam cum de Idololatria inscribit, videtur argumentum huic libro quæsivisse, ne sub conlectaneorum titulo nomen ejus vilesceret. Quod certe ad Physica illa attinet, illa non alia occasione ipsi nata nec diffitetur in Præfatione operis. Quare Noctium Leidensium titulo insignire voluit exemplo A. Gellii; quod tamen consilium postea mutavit, atque suo de Idololatria operi velut adpendicem adjecit; quæsito utcumque connexionis argumento. Liber est profecto totus aureus, & magno adparatu rerum refertus. Theologiæ Gentilis primordia quamquam jecerit Gyraldus, & alii ante ipsum; ipse tamen longe locupletiora & accuratiora dedit illa omnia, suo interposito ubique judicio. Utinam postremam ejus partem de*

rebus,

rebus naturalibus ita elaborasset, certe complexum totius universi liber iste sisteret. De hoc libro ita Grotius judicat : In aliis quidem titulos plus, quam præstant, promittere: hunc vero librum plus præstare, quam titulus promittit.

§. VIII. Veluti uno plures hactenus, & Græci prodierunt Grammatici, & ut ille, ait, *μυρίοι, οὓς οὐκ ἄν τις ἀειφραδέως ἀγορεύσοι θνητὸς ἐών*· ita præ ceteris utilitate se mihi semper probarunt Nicol. Clenardus Diestensis cum scholiis & praxi Petri Antesignani, Frid. Sylburgii, Henr. Stephani, & Gerardi Jo. Vossii; Jacobus Wellerus & Theophilus Golius, cujus de Grammatica in ad Lectorem Præfatione Grammaticæ Græco-Harmonicæ Golio-Wellerianæ præmissa cum cura disserit Cl. Dn. M. Joh. Fridericus Koeberus in Illustri Rutheneo Rector; item Jacobus Gretserus Jesuita, nosterque Goudensis & Hagensis olim Rector Batavus Joann. Verwey. Et ut Alexandrum Scotum, cujus universam Grammaticam Græcam Lugduni M. DC. XIV. in 8vo. impressam vel ob Angeli Caninii Anglarensis Canones Terminationis & Dialectorum additos magni feci semper, prætercam hic, profiteor sancte, Litterarum sacrarum & Theologiæ Studiosis utiliorem Grammaticam ea, quam Georgius Pasor Græcæ Linguæ Professor Groningensis edidit CIↃ IↃC LV. in 8vo. Græcamque Novi Testamenti vocavit Grammaticam, me non vidisse. Quippe de qua filius ejus Patre minime indoctior Matthias Pasor S. Theolog. Doct. ejusdemque & Philos. Moralis Professor in ad Lectorem Præfatione p. 6. tale judicium fert. *Multitudinem Grammaticarum multi objicient. Verum tametsi Grammaticæ Græcæ prostant infinitæ, hujus tamen generis Grammaticam, quæ tantam exemplorum sacrorum farraginem contineat;*

neat, mihi quidem hactenus videre non contigit. Alii nimiam Grammaticæ hujus prolixitatem sugillabunt. At, si illam ex dictorum sacrorum varietate ortam expendant, mitius forte judicabunt, quia illorum occasione non modo de phrasi Græca, verum *de rebus quoque Cœlestibus & ad æternam salutem spectantibus Magistris cogitare ac discipulos commonefacere licebit. Interest juventutis Christianæ, ut dicta ista sacra* ἀπὸ βρέφους *in succum & sanguinem, auod ajunt convertere studeat. Accedit, quod hic non repræsentatur nuda Grammatica, verum* Syllabus *insuper omnia fere Novi Testamenti vocabula Grammatica Methodo disposita exhibens.* Et in pagina sequenti: " *Scopus pii mei parentis fuit* Græcum Novi Testamenti " textum juventuti Christianæ à primis annis reddere " quam familiarissimum. Scripsit hunc in finem *Lexicon* Novi Testamenti geminum, *Majus,* & *Minus,* " quod ipsius institutum quam multis gratum fuerit " atque utile ex variis diversorum locorum editionibus perspicuum est. Succedit nunc *Grammatica* " hæc *Sacra,* in qua quidnam præstitum sit doctiorum " & pietatis æque ac profectus juventutis Christianæ " studiosorum esto judicium. Omnes Novi Testamenti *voces* varie in ea disponuntur vel retexuntur, " omnes etiam *Syntaxeos Regulæ* Sylva quadam dictorum divinorum exornantur atque illustrantur, adeo " ut liber hic *Thesauri* vel *Promptuarii Sacri Grammatici* titulum haud injuria sibi vendicare possit. Adducit & commendat illam Pasoris Grammaticam non semel in doctissima sua Dissertatione Philologico-Theologica, de Stylo Novi Testamenti, Dn. D. Joh. Olearius, Theologus & Professor Lipsiensis. Sane qui Thesaurum Grammaticum Linguæ Sanctæ Hebrææ cum Lexico Johannis Buxtorfii, Philologiam Sacram Salomonis Glassii aliquoties ipsi Pasori laudatam, Logicam sacram in Novo Testamen-

to comprehensam M. Philippi Zeisoldi, cum Grammatica hac & Lexico Novi Testamenti Pasoris diligenter cognovit, addiditque, quod & superius monui, Christiani Noldii Concordantias Particularum Ebræo-Chaldaicarum, non facile dicti alicujus in Biblico sensu indagando hærebit, minimeque de intelligendo sacris in Scripturis Spiritu ambiget. Legi dictam illam Pasoris Grammaticam non sine emolumento non semel, & in ceteris, de quibus forte alibi dicam, offendi eum in cap. XI. libri II. p. 364. ubi de Syntaxi verborum agit cum Accusativo, pro regula, *Verba* transitiva *Accusativum similiter Latinis regunt*, exemplis illustranda adducere locum ex Actor. XXIII. 21. ἐνεδρεύουσι γὰρ αὐτὸν, *insidiantur enim illi*, & subjicere : *At Jud.* IX. 43. ἐνήδρευσεν αὐτῷ *insidiatus est illi.* Male! Est enim in omnibus, quos ego quidem vidi, & habeo, Codicibus emendatissimis ἐν ἀγρῷ & non αὐτῷ. In Hebræo legitur ויארב בשדה *Insidiasque posuit in agro*, ut vertit Vatablus. Legitur & illud ἐνήδρευσεν in multis exemplaribus per ε loco η, in aliis vero, ut in Pasore exstat, per η scilicet. Sic pro eo, quod ille ipse Pasor lib. II. Gramm. cap. XIV. n. IV. p. 398. è 2. Macchab. XII. 10. adducit : ἐκεῖθεν δὲ ἀποσπασθέντων σταδίους ἐννέα, *inde provecti novem stadia*, habeo in meis libris, ἐκεῖθεν δὲ ἀποσπάσαντες σταδίους ἐννέα. *Inde quum jam abiissent novem stadiis.* Vatablus vitiose in meo Codice : *Inde quum abscessisset novem stadiis.* Lege *abscessissent.*

§. IX. De modis, quibus congeri Bibliothecæ possunt in capite primi Polyhistoris Litterarii libri quarto agens Cl. Daniel Georg. Morhofius, inter

luctuosos

luctuosos minimeque honestos parandorum librorum modos in p. 32. recenset & hunc, *cum è manibus hostium vel spoliis illi comparantur, è quibus non paucæ Bibliothecæ creverunt. Ipsa*, ait, *Vaticana Heidelbergensis Bibliothecæ integræ, ut fama est, direptione aucta est. Quanquam aliqui, qui in notitiam secretiorum Bibliothecariorum penetrarunt, negant ejus quicquam ad Bibliothecam publicam pervenisse, sed per Cardinalium privatas Bibliothecas fuisse divisam, ac ostendi quidem capsas clausas, in quibus libri reconditi dicuntur, eas tamen esse vacuas.* Et in cap. VII. p. 66. *Instructissima*, inquit, *sine dubio, omnis generis Manuscriptis Bibliotheca Vaticana est, præsertim postquam Heidelbergensis Bibliothecæ spolia accesserunt. (Si ulla unquam accesserunt; sunt enim, qui de eo dubitant: neque ipse etiam Joseph Scaliger magnifice adeo de illa sentit.)* Item cap. XVII. p. 194. *Inter Bibliothecas Christiani Orbis principatum obtinet Vaticana, cujus Historia à Scriptoribus aliquot tradita est; sed secretiora ejus & MS. Codices nunquam patuerunt. Josephus Scaliger, tum in Epistola ad Gruterum scripta, tum in Excerptis illis, quæ Fratres Puteani congesserunt, non magnopere æstimat Bibliothecam Vaticanam, illique præfert Florentinam, (&) Parisinam regiam; qua de re plenius agit Conringius in Biblioth. Aug. p. 37, 38, 39. Illius opes crevisse dicuntur è spoliis Bibliothecæ Electoralis Palatinæ: sed alii hoc in dubium vocant, qui existimant, inter Cardinales quosdam direpta fuisse arcaniora ejus Bibliothecæ.* At quis nobis hoc arcanum totumque negotium melius explicabit Leone Allatio Chio, cujus in §. XXXVI. p. m. 58. edit. Parisinæ M. DC. XL. Animadversion. in Antiquitatum Etruscarum Fragmenta ab Inghiramo edita sunt verba: Rotunda *literarum forma erat, non quæ in sphæræ modum obvolveretur, à Capitali, & Quadrata diversa, sed quæ ob artis contemptum, & celeriorem scriptionem, quasi in globulos, sed non eos perfectos,*

 curvabatur,

curvabatur, qualis est hodie in antiquissimis Virgilii Codicibus Vaticanis 3225. 3877. & alio simili, quem ipse Heidelberga cum Palatina Bibliotheca in Vaticanam advexi: ad cujus fidem antea Virgilii opera omnia in Bibliopolio Commeliniano anno 1603. sed non bona fide vulgata sunt.

§. X. Male Thomas Gatakerus cap. XI. Adversar. Miscellan. inter deplorationes & de tardis rerum incrementis, ruinisque subitaneis expostulationes Scriptorum, locum Varronis in Mysteriis producit p. m. 121. edit. Londin. 1659. in fol. apud Nonium in *Spissum* p. m. 191. b. exstantem: *Morimur spissius, quam nascimur.* Male dico, planeque ἀπροσδιονύσως. Legendum enim omnino, veluti quoque Codices omnes constanter habent: *Nascimur spissius, quam emorimur.*

CAPUT VII.

§. I. NOtabile est, quod de Margareta, Thomæ Mori filia, Joannes Costerius in scholiis ad Vicentii Lerinensis Galli pro Catholicæ fidei antiquitate & universitate (al. *veritate*) adversus profanas omnium hæreseon novationes Commonitoria prodit memoriæ; quæ quia scholia rara sunt, quippe Antuerpiæ in ædibus Joan. Steelsii an. M. D. LX. in 12. edita, adeoque in paucissimorum manibus ac Bibliothecis, totum hic adferam scitu non injucundum locum. "Inter D. Cypriani opera est libro "epistolarum, numero septima epistola, cujus ini-"tium *Quanquam bene sibi conscius animus &c.* lectu "digna, & erudita, & antiquam illam Romanæ Ec-"clesiæ gravitatem spirans. In ea vero (ut & illud

"hic

" hic quoque in studiosorum gratiam adjiciam) sen-
" tentia est quædam fœde admodum depravata, cui
" nulla evulgatio hactenus remedium attulit. Nam
" postrema editio, quam Colonienses anno XLIV.
" nobis dederunt, in qua vir utraque lingua doctis-
" simus D. Henricus Gravius multa vulnera persana-
" vit, locum corruptum quidem esse ostendit, inter-
" positis duobus asteriscis, interim tamen nihil ad-
" ferens, quod eam tabem sanare queat. Sententia
" vero hæc est : Absit enim ab Ecclesia Romana,
" vigorem suum tam prophana facilitate dimittere,
" & nisi vos severitatis, eversa fidei majestate dissol-
" vere, &c. Igitur quum Clemens Medicinæ Do-
" ctor, natione Anglus vir ornatissimus, ac Græca-
" rum Literarum peritissimus, mecum subinde pro
" sua humanitate de literis conferret, atque harum
" occasione multa de præclarissimi Viri Thomæ Mo-
" ri, quo familiariter dum viveret, usus erat, huma-
" nitate, pietate, prudentia ac eruditione diceret,
" meminit quoque subinde Margaretæ Mori filiæ:
" cujus ingenium atque doctrinam mirifice prædica-
" bat. Ut autem cognoscas, inquit, vera esse quæ
" dico, adferam tibi ex Cypriano locum depravа-
" tum admodum, quem illa citra exemplaris subsi-
" dium, sola ingenii sui fœlicitate restituit. Erat
" autem ea sententia, quam supra posui. Nam pro
" eo quod ibi legimus, *nisi vos severitatis*, *nervos se-*
" *veritatis* reponendum esse dicebat. Error scribarum
" incita (l. inscitia) obrepsit. Suspicandum, scri-
" ptum fuisse in antiquo Codice hoc modo, n̄vos,
" apiculo supra n. literam scripto : verum quia & hæc
" dictuncula, *nisi*, hac ratione contractius pingi so-
" solet, scriba unum vocabulum in duas voces disse-
" cuit : nodum connectens plane Gordianum, quem
" magni alioqui viri dissolvere hactenus nequiverunt.

Hactenus Costerius. Melius quidem, scio, & ornatius Helmstadii è Typographeo suo bis recensuit & cum dedicatione, Prooemio ad Lectorem prolixo & admonitione edidit duo dicti Vincentii Lerinensis Commonitoria, quorum tamen maximam posterius partem intercidit, Georgius Calixtus, addens Sancti Patris & Doctoris Aurelii Augustini Episcopi Hipponensis de Doctrina Christiana libros IV. ac de Fide & Symbolo librum unum; quorum editio prima prodiit anno CIↃ IↃC XXIX. altera vero anno CIↃ IↃC LV. at ob dictas Costerii notas servo & exemplum Antuerpiense, quod ceteroquin ad Calixtinum nihil est. Quamquam nescio, an satis convenienter Lerinensis additus sit Augustino, cum rationes satis justæ aliquibus videantur, cur Commonitorii scriptorem non solum ab Augustiniana de Prædestinatione sententia abhorruisse credant: sed etiam Commonitorium adversus Augustinum ipsum, vel eos saltem, qui Augustini sententiam sequerentur, scripsisse, non vane forte existiment. Potest & hæc esse ratio, cur nomen suum præterierit, quod adversariis illud suspectum esse sciret. Nam sub *Peregrini* nomine Commonitorium suum edidisse, è Præfatione cognoscimus. Gennadius de Vincentio & Monasterio Lyrinensi sic ait: *Vincentius natione Gallus apud monasterium in Lyrinensi insula Presbyter fuit.* Lyrinus igitur insulæ (l'Isle de Lyrins) Gallicæ nomen est, duabus tantum provincialibus leucis à terra dissitæ, frumenti optimi vinique copiam ferentis, aureaque mala & palmas. In ea Vincentius habitavit, ut ipsemet fatetur his verbis: *Urbium frequentias turbasque vitantes, remotioris villulæ & in ea secretum Monasterii incolimus habitaculum.* Hæc quidem non longe à principio Commonitorii Vincentius. Duas autem in Itinerariis & Geographiis reperimus insulas, Leronem

nem & Lerinum, quæ Insulæ hodie S. Honorati dicuntur, & Honoratum magistrum insularum vocari ab Eucherio Lugdunensi Episcopo in Præfatione libelli de Quæstionibus veteris Testamenti ad Salonium liquet. Ex Hildeberti vero Epistolis, quæ exstant, insulam beatissimi Honorati & Monasterium eversum esse à pyratis memoriæ traditum est. Innocentius III. Arelatensi Archiepiscopo hæc de Lerino scribit. "Veridica multorum relatione comperimus "Monasterium Lerinense, quod olim religione flo-"rebat, & temporalibus abundabat, ad eum statum "sic miserabiliter devolutum, quod nec regularia in "eo instituta serventur, nec fratres ibidem de ipsius "possint facultatibus congrue sustentari. Ne igitur "Monasterio ipsi, quod specialiter Beati Petri juris "existit, nostra videatur solicitudo deesse, quæ circa "universas Ecclesias diligentius vigilare tenetur, fra-"ternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo "mandamus quatenus accedens ad locum, si per fra-"tres ejusdem Ordinis religionem ibidem posse vide-"ris reformari, & reduci Monasterium ipsum in sta-"tum, id summopere studeas adimplere, indulta tibi "à nobis libera facultate excludendi de Monasterio "quoscumque videris excludendos. Non ignoro, quantopere Vincentium commendent Sixtus Senensis VI. Bibliothecæ Sanctæ Annotat. 104. p. 589. cujus verba sunt: *Sed quam misere infelices illi fallantur, luculentissime demonstravit sanctissimus, atque inter Patres, qui ante mille & ducentos fere annos floruerunt, doctissimus ac disertissimus Vincentius Lyrinensis edito libello vere aureo, quem omnes Catholicæ pietatis amatores assidua versare manu deberent, ceu enchiridion, sive militarem pugiunculam adversus profanas omnium hæresium novationes.* Item Robertus Cardinalis Bellarminus in p. 118. libri de Script. Eccles. edit. opt. Colon. anno M. DC.

LXXXIV. impressæ, ita scribens: *Vincentius Monasterii Lirinensis Presbyter æqualis Caßiani fuit, quippe qui paullo post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, id est, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum parvum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum novitatibus. Libellus exstat, & utilißime legitur.* Nec non Anton. Possevinus in Adparatu; & Justus Baronius de Præscriptione p. 507. quorum verba non exscribo. Tantum addo, Papirium Massonium in Descriptione Fluminum Galliæ, p. 375. edit. Paris. M. DC. LXXVIII. in 12. *nescire, an hunc virum debeat æquare omnibus veteribus Theologis. Quis enim*, pergit hic Censor, *unquam adversus hæreses, præclarius scripsit?* Sed Semipelagianismi eum accusant, non ab re post Jo. Dallæum Pastorem Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis libro & cap. II. de usu Patrum; & Andream Rivetum, IV. Critici sacri, exstantis Tomo II. ejus operum, cap. XXIV. p. m. 1146. a. b. edit. Roterodam. M. DC. LII. in fol. Gerard. Jo. Vossius in Historia Pelagiana, lib. I. cap. IX. p. 36. & Cl. Dn. M. Elias Reheboldus Torg. Misnicus in Dissertatione de Natura & Gratia contra Mosen Amyraldum cap. II. p. 14. edit. Gissens. M. DC. LI. in 4to. Favebant sane non pauci eo tempore in Gallia Pelagio contra Augustinum, quos inter celeberrimus Faustus Rhegiensis, auctor damnati *de Libero Arbitrio* libri. Quem prænimis laudans Apollinaris Sidonius, vel deceptum ignorantia se prodit, vel conspirasse in hæresi: nisi palpum obtrusisse malis. Quin etiam eodem nomine ex eodem cum Vincentio claustro suspectus habetur Eusebius, falso dictus *Emissenus*, cujus Homiliæ leguntur, de quibus Antonius videndus Possevinus, Tomo I. Adparatus sub titulo *Euseb. Emissen.* Nec minus Johannes Cassianus *Collator* dictus refutatus à Prospero. Salvianum quoque cum Massilien-

ſibus ſuis ſenſiſſe, ſatis adparet. Denique de Gennadio res certa eſt, nec ipſe diſſimulat Bellarminus in de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Neque Catholica ſunt omnia, quæ iuter *Eccleſiaſtica* tradidit ille *dogmata* Auguſtino falſo adficta. At pro Auguſtino ſteterunt Proſper Aquitanicus & ſuppar Hilarius Arelatenſis, ut & poſtea ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Cæſarius, cui adfictæ Homiliæ leguntur. Vera ejus ſcripta, ut *Liber Teſtimoniorum de Gratia & Libero Arbitrio*, vel perierunt, vel alicubi adhuc in tenebris latent. Claudianus Mammercus ſcripſit contra Fauſtum de Statu animæ; quem ſuis cum notis in 8vo. edidit Caſp. Barthius. Fatemur quidem à Vincentio damnari Pelagium, Cœleſtinum, Julianum. Sed faciebat hoc etiam Fauſtus, & cum eo Semipelagiani omnes. At alia ratio eſt aureorum de Doctrina Chriſtiana librorum Auguſtini, qui Theologiæ attendentes abunde docent veram addiſcendi rationem Theologiam ſacram, quare eos & ſeorſim in forma enchiridii (in 12) cum Præfatione Iſagogica in gratiam & uſum Sacris Theologicis operantium ante Calixtum Wittebergæ anno M. DC. IV. edidit Salomo Geſnerus Doctor & Profeſſor ibi Theologus in ſcriptis Patrum verſatiſſimus. *Ego ſuadeo*, ait in fine Diſſertationis de Controverſiis & Diſputat. Theologicis p. m. 54. edit. Traject. M. DC. LVIII. Cl. memoriæ Theologus Joh. Hoornbeek, *ut in hoc legantur Auguſtini libri quatuor* " de doctrina Chriſtiana (*quibus*, quando Scri-
" ptorem hunc commendo, jungere ſoleo ejuſdem
" *Confeſſionum* libros, Scriptorum ejus facile optimos,
" inque prima editione Baſileenſi Amorbachiana, an-
" te alteram Eraſmi, eadem parte, quarta videlicet,
" conjunctos) addito ejus quoque *Enchiridio*; tum
" ob doctrinæ utilis materiam, tum ob guſtum ali-
" quem capiendum Scriptorum antiquorum, quibus

" quantum debeamus, soli ignorant, qui ea non le-
" gerunt. Vide quæ diximus in Part. II. Animadvers. nostrar. cap. II. §. I. p. 29. s. & in Part. IV. Animadv. c. ult. §. IX.

§. II. Constare hinc forte arbitror, quid de Hugonis Grotii Consilio habendum, quo quadam in ad Jacobum Laurentii epistola, ei auctor est, *pro Confessione Belgica, veterum Christianorum confessiones legere: pro Institutionibus Calvini, Vincentii Lirinensis Commonitorium: pro Catechismo Ursini, Cyrilli Catecheses: pro Actis Synodi Dordracenæ, Synodorum Universalium acta.* Recordor hic, olim nostris de Majoribus Georgium Calixtum in Digressione de Arte Nova p. m. 285. s. edit. Francofurt. ann. CIↃ IↃC LII. tale Orthodoxis parum probabile tulisse Judicium; *Res,* inquit, *nostrum eo tandem deductæ sunt, ut Augustæ in Comitiis Imp. vigore edicti Cæsarei, Confessionem fidei suæ exhibere eos oportuerit. Et sane ex usu erat, Ecclesias reformationem amplexas ex communi consensu, quid de religionis & fidei capitibus statuerent, per solennem ejusmodi professionem declarare & palam facere, ne privatæ opiniones & quod unus aut alter per incogitantiam vel contentionis fervorem effudissent, sive etiam quæ sub prætextu reformationis perperam à nonnullis acta essent, ipsis imputarentur. Potuissent autem se BREVIBUS expediisse, si dixissent, suam de doctrina fidei confessionem esse Symbol. Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinos articulos, Chalcedonensem ἔκθεσιν & quicquid unanimi consensu vetus universa Ecclesia professa esset.* Quasi vero ita se coram Senatu imperii satis exculpare potuissent! Quasi vero ista per universæ veteris Ecclesiæ consensum digressio non LONGIOR futura fuisset ipsa etiam Confessione! Quasi vero non ad Catholicæ Ecclesiæ consensum sæpius provocaverint!

§. III. Non possum mirari satis confidentiam eru-

diti Medicinæ Doctoris & Coll. Lond. Ja. Windeti, ſcribentis in initio Sect. III. libri de Vitâ functorum ſtatu: *Eſt & alia adhuc utriuſque vocis* (τοῦ Sheol & ᾅδου) *notio, quam noſtrorum nulli hactenus, quod ſciam, adverterunt: quæ tamen Philoſophici commatis* Hebræis *&* Græcis *ſcriptoribus præcipua ſit, & quaſi fundus reliquarum. Iſtiuſmodi quippe* Hebræis *Sheol* Naturam ſubcœleſtem, *Generationis & corruptionis continentibus* Euripis *agitatam, atque adeo* Materiam primam *ſignificat.* Et aliquot interjectis pergit: *Sed & anteſignanus noſter* Hippocrates *primo de* Diæta: Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται ὅ, τι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν, ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται· νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ᾅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος ἐς ᾅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι. *Ex rebus quidem univerſis perit nihil, neque naſcitur quod non priùs erat: commiſtæ verò ac ſeparatæ alterantur. Vulgò autem exiſtimatur illud quidem, quod ex orco in lucem crevit, naſci; id vero, quod è luce in orcum imminutum fuerit, perire.* Iſtæ phraſes ἐς φῶς αὔξεσθαι atque ἐς ᾅδην μειοῦσθαι modum continent unde contingat rem natam in lucem emergere ac conſpici, atque viciſſim quo pacto eadem res denata vaneſcat è conſpectu. *Naſcitur* enim ac *conſpicitur creſcendo molemque augendo; denaſcitur decreſcendo, ac mole ſic tandem minuta ac diſſipata, ut ne compareat* quidem. Πληρωθὲν μὲν ἐφάνη διὰ τὴν τῆς παχύτητος ἀντιτυπίαν, ἀόρατον δέ ἐστιν ἐκκενωθὲν διὰ λεπτότητα, inquit *Apollonius* in Epiſtola ad *Valerium,* quæ exſtat inter *Græcas Cujacii* verſionem *Latinam* mentientes. ᾅδης enim veteribus eſt ἀφανισμός· *Gobryas* in *Axiocho* pro κατελθεῖν εἰς ᾅδου,

ᾅδου, εἰς ἄδηλον χωρεῖν τόπον dixit, hinc ἄϊδος κυνῆ proverbialiter ſubmovet ex oculis atque inviſibile quid præſtat. Hæc Windetus. Adeone imparatus fuit hic homo, aut nos imparatos habuit omnes à lectione libri nemini non noti, domi, id eſt, in ipſo Angliæ ſinu, Regiſque Angliæ præſidiis & auſpiciis ſcripti, Regique Magnæ Britanniæ dedicati & Londini MDCXIV. editi cujus auctor homo quidem Gallus, ſed Reformatæ religionis fuit, cujuſque epitaphium Londini in templo Weſtmunſterienſi quotidie ob oculos verſabatur, Iſaacus nimirum Caſaubonus, apud quem Exercitat. I. ad Adparatum Annalium Baronii p. m. 84. ſimilia & fere eadem lego *Hippocrates*, ait, *in libro de Diæta, poſtquam probavit*, συνίστασθαι τὰ ζῶα ἐκ δυοῖν τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος, *conflari animalia è duobus, igne & aqua, addit* ἀπόλλυται μὲν οὖν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅτι μὴ πρόσθεν ἦν· ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διαλυόμενα ἀλλοιοῦται. Νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ᾅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι. τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ᾅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι. Igitur ex omnibus rebus perit nihil, neque naſcitur, niſi quod prius fuit: ſed inter ſe res mixtæ aut ſeparatæ aliæ fiunt. *vel*, alterationem patiuntur. Exiſtimatur verò ab hominibus, illud quidem, quod ex Ade in lucem excrevit, (*creſcendo pervenit*) naſci: id verò quod è luce in Adem imminutum fuerit, (*pervenerit*) perire. *Sentit Hippocrates, eſſe quandam materiam primam, indigeſtam &* ἀόρατον, *neque in oculorum ſenſum cadentem, ex qua fiant omnia, & in quam reſolvantur omnia, illam materiam vocat* ᾅδην, *quaſi dicas, rem inviſibilem; id enim eſt* ᾅδης; *ſicut res creatas & ex ea materia productas, vocat* φάος.

Quem

Quem dicit Hippocrates Adem, alii Philosophi nominabant οὐσίαν ; (*Aristoteles, primam substantiam*:) *&* *naturam, quod illi dicitur* φάος, *lumen vel lux. Apollonius Tyaneus in epistola ad Valerium*: Θάνατος οὐδεὶς οὐδενὸς ἢ μόνον ἐμφάσει· καθάπερ οὐδὲ γένεσις οὐδενὸς, ἢ μόνον ἐμφάσει· τὸ μὲν γὰρ ἐξ οὐσίας τραπὲν ἐς φύσιν, ἔδοξε γένεσις. τὸ δὲ ἐκ φύσεως εἰς οὐσίαν, κατὰ ταυτὰ θάνατος· οὔτε γινομένου κατ' ἀλήθειαν τινὸς, οὔτε φθειρομένου ποτέ. μόνον δὲ ἐμφανοῦς ὄντος, ἀοράτου τε ὕστερον. τοῦ μὲν διὰ παχύτητα τῆς ὕλης· τοῦ δὲ διὰ λεπτότητα τῆς οὐσίας, οὔσης μὲν ἀεὶ τῆς αὐτῆς, κινήσει δὲ διαφερούσης καὶ στάσει. *Clarum est* οὐσίαν *appellare Apollonium, quem dicit Cous senex* ᾅδην. *&* φύσιν, *quod illi est* φάος. *Seneca aliter, epistolâ* XXXVI. Cogita nihil eorum quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam ex qua prodierunt ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. *Hîc per rerum naturam intelligitur Hippocratis* ἄδης, *Apollonii* οὐσία. *Servius vocat* generalitatem *in tertiam Æneida*, v. 67. Romani, ait, contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret materiam. (al. leg. *naturam*) *Poëtæ interdum Chaos. Claudianus vero de raptu Proserpinæ, cum ita Orcum alloquitur*, lib. I. v. 59.

> Qui vitam letumque regis: nam quicquid ubique
> Gignit materies, hoc te donante creatur;

planissime ex Hippocratis mente loquitur. Hactenus Casaubonus. Si sprevit ea, vel ignoravit, quæ domi & ante pedes erant, potuisset didicisse ex Etymologico Matthiæ Martinii, in cujus col. 1266. edit. Brem.

Voc.

Voc. *Inferus*, adducta Casauboni ad verbum repetuntur. Confer & eumdem ibidem Martinium, col. 1011. f. Voc. *Generalitas*. Item B. Jo. Conr. Dieteric. Antiquit. Biblic. p. m. 157. a. b. Observo hic è Pauli Colomesii Opuscul. cap. XXVIII. p. 62. vocem ᾅδης quandoque pro cœlo apud veteres usurpari. Auctor innominatus apud Suidam: πᾶσα ἀνάγκη, τοῖς μὲν ἀγαθοῖς ἐν ᾅδου ἔσεσθαι ἄμεινον, τοῖς δὲ κακοῖς χάκιον. Sic Josephus, & post eum Theodoretus, ᾅδην omnibus hominibus tribuunt, impiis quidem σκολιώτερον, piis verò φωτεινόν. Adhæc adserit Hugo Brougthonus in S. Scripturæ concentu ab Isaaco Genio Latinè verso, in multis vetustissimis Codicibus MSS. Orationem Dominicam in hunc modum inveniri. πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν ᾅδῃ. Veteres quoque Macedones Orationem hanc nunquam aliter precatos fuisse.

§. IV. Illustris cujusdam viri instructissimam ad Bibliothecam non ita pridem admisso obferebant sese mihi inter cetera, viri, dum viviret, magnæ dignationis, Jacobi Catsii Equitis aurati, & Illustr. Ordd. Holland. Syndicorum Primicerii, magni Sigilli Custodis, rerumque Feudalium Præfecti Vicarii & à Præpotentibus Federati Belgii Ordd. ad Sereniss. Anglorum tunc Rempubl. Legati principis Opera Amstel. CIↃ IↃCLV. in fol. edita; quæ dum evolvebam, titulo eorum reperiebam verba Horatii ex Arte Poëtica v. 26. adscripta:

———Sectantem levia, nervi
Deficiunt, animique ———

Sciscitabar ex adstante, quidnam sibi vellent hæc verba? qui respondebat, esse hoc de auctore isto sum-

mi

mi viri, Belgicæque Poëſos facile principis C. H. D. d. Z. judicium, quod num è veritatis ſit republica, judicent illi, quorum hæc in manu ſunt. At quomodo Poëtæ Anglici Johannis Donnei vitulô in inventione araverit quandoque dictus Catſius, oſtendit in Commentatione doctiſſima de Diſciplina Argutiarum eruditiſſimus b. r. Morhofius Sect. II. c. III. p. 83. ſ. edit. M. DC. XCIII. ubi & ſimile quid de Caſparo Barlæo memoriæ prodit.

§. V. Scio Præparationis primo Evangelicæ libro Euſebium tradidiſſe Μέλκαρθον à Phœnicibus cognominatum fuiſſe Herculem: Μέλκαρθος, inquit, ὁ καὶ Ἡρακλῆς, id eſt: *Melcarthus qui & Hercules*. Deſumpſit hæc, ut alia plurima, è Sanchuniathone illo Berytio, viro Trojano bello antiquiore, qui Hiſtoriam Phœnicum Phœnicia perſcripſit lingua, partim ex urbium ſingularum actis, partim ex templorum monumentis, multum in ea adjutus opera Hierombali, qui ſacerdos fuit dei Ιευώ· Ιευώ autem idem ac Ιάω quæ voces, auctore Voſſio primo de Origine & progreſſu Idololatriæ cap. XXII. p. m. 85. a. edit. Amſterdam. M. DC. LXVIII. in fol. factæ ſunt ex nomine DEI tetragrammato. Hoc Sanchuniatonis opus Philo Biblius lingua è Phœnicia tranſtulit Græce, indeque ea, quæ de Phœnicum ille Theologia retulerat, in primum ſuum de Præparatione Evangelica tranſtulit Euſebius. Vox Μέλκαρθος vel Μελίκαρθος (variant enim Codices) è duabus conflata eſt. Prior pars eſt, מֶלֶךְ *rex*, unde & Hercules, *Malica* ab Amathuſiis. Heſychius: Μάλικα τὸν Ἡρακλέα, Ἀμαθούσιοι· *Malica, Herculem, Amathuſii*. Altera in Melicartho pars eſt קרתא *cartha*, i. e. *civitas*. Ut ſic

sic dixerint Melicarthum quasi θεὸν πολιοῦχον ἀλεξίκακον, sive Deum tutelarem civitatis. Quæ non credidissem potuisse latere virum consummatissimæ eruditionis Joannem Seldenum, nisi ipse primo de Diis Syris Syntagmate cap. VI. p. m. 109. s. edit. optimæ Amstelod. M. DC. LXXX. in 8vo. scripsisset: *Qui* καθ' ὑπερβολὴν, *ut ait Strabo* (in XVI.) *Tyriis cultus Hercules, dicebatur* Μέλκαρτος, *sive* Μέλκαρθος, *qui depravate* Μελκάνθαρος *dicitur Eusebio in Oratione de laudibus Constantini.* Et paulo infra: *quid* αρτος *aut* αρθος *in ea dictione, non satis intelligo.* At qui potuit tam manifestam vocis compositionem secundum Syriensem dialectum tantus in linguis & literis vir ignorare? Poterat hoc vel de Gentili suo Nicolao Fullero (quem Hugo Grotius *virum exquisitæ diligentiæ* vocat) discere, cujus è cap. XVIII. tertii Miscellan. Sacror. libri p. m. 372. s. edit. Argentoratens. M. DC. L. in 8vo. ista sunt: " Appellatio hæc conflata est ex duabus dictionibus מל & קרתא: quibus significatur, *Rex ipsius urbis.* Sidonis videlicet aut Tyri. Vocabulo Melech persimile proximumque est Baal: vel Beel, h. e. *Dominus*: Sed magnificentius fortassis est Melech. Veruntamen si vocis origo (ut par est) spectetur, *Consul* proprie exponetur מלך. Etenim radix seu thema, unde formatur, *consulere* significat, seu consilium dare. Neque Regii nominis majestas à Sydoniis Tyriisque tantum Herculi suo est attributa, sed ab aliis passim nationibus. Nam (ut de ceteris taceam) Ammonitarum Molech & Milchom, idem reipsa sunt nomen. Tanta tamque immensa est diaboli superbia, ut non solum minuere & lædere, sed solvere quoque & abolere, ac ad se demum transferre,

" si

"si posset nitatur, supremam majestatem ejus, cui "soli est regnum, & potentia, & gloria in sæcula, "Amen.

"Porro quod narrant Poëtæ, Melicertam, post-"quam in mare se præcipitavit, & in deorum nume-"rum relatus est, Palæmona à Græcis nuncupatum: "(*Solent* enim *mortuis consecratis nomina immutari*, in-"quit Lactantius I. Inst.) meræ nugæ, mera insci-"tia est. Quasi vero Melicerta pristinum ejus no-"men Græcum esset. Certe peregrinum est omnino, "& extraneum, מלך קרתא, à Phœnicibus, non "à Græcis ortum. Idcirco ut nomen, ita & eum cui "impositum erat illud nomen, miseri mortales igno-"rarunt. Nam longe alium ab Hercule putantes se "colere, ipsissimum Herculem venerabantur, cæca no-"minis tantummodo ignoratione decepti. Melicer-"ta quippe Phœnicibus, Palæmon dicitur Græcis: "Παλαίμων δὲ Ἡρακλῆς. *Palæmon vero est Hercules*, "ut verissime testatur Hesychius. A Sidoniis Tyriisve "Melicertæ nomine invocatus est, quod magnus esset "quasi Patronus civitatis ipsorum, & tutelaris Deus, "ὁ πολιοῦχος Θεός. Hactenus Fullerus. Varro VIII. de LL. p. m. 120. edit. opt. Dordrechtanæ 1619. in 8vo. *Reprehendum* (l. *Reprehendunt*) *Aristarchum, quod hæc nomina* Melicertes & *Philomedes similia neget esse, quod vocandi casus habet alter* Melicerta, *alter Philomede*. Postquam nude, sine verbis Matth. Martinius Etymolog. col. 1884. Varronem adduxerat, subjicit: *Cum è brevi Melicerta. Ibi Scaliger. Atqui* Μελικέρτα *potius facit*. At Scaliger in notis eum in locum nihil adnotavit nisi quod in Indice, si is Scaligeri est, habetur: *Melicertes Melicerte cum è brevi vocandi casu* p. 120. 97. (l. 9. dele 7.) Porro Eusebium his in Præparationis Evangelicæ libris magnam Philonis Judæi,

Judæi, de Providentia libri transſcripſiſſe partem, neminem Auctores ambos qui legit, fugere poteſt. Vide vel librum VIII. Addam hic ex occaſione laudati Scaligeri verba è lib. I. Epiſt. LXVI. p. m. 209. edit. Lugd. Batav. CIↃ IↃC XXVII. in 8vo. *De Salambone nihil dico. Hoc tantum dicam verum nomen Veneris Babyloniis* (ita enim rectius in Opuſcul. p. m. 345. edit. Francof. M. DC. LXIV. in 8vo eſt, quam ipſis in citatis Epiſtolis, in quibus *Babylonis* legitur; licet Epiſtolæ emendatiores ſint Opuſculis, quæ non paucas continent Scaligeri Epiſtolas. Sed utraque de editione alibi dico) *fuiſſe* Μύλιττα, *ut incomparabilis ſcriptor Herodotus prodidit, hoc eſt,* γενέτειρα.

§. VI. Quando annus Pontificiorum Jubilæus incipiat, quibuſve ceremoniis ac ritibus peragatur, multis deſcripſit Andreas Schottus capite partis ſecundæ Itinerarii Italici duodecimo. In p. 103. ſine dubio occurrit vitium aliquod Typographicum, niſi ipſius memoriæ lapſum auctoris eſſe velis; cum inſtauratio jubilæi anno CIↃ CCC facta Bonifacio IX. adſcribitur. Nam Bonifacium IX. demum vixiſſe circa annum MCCCXC. palam eſt; ſub quo & tertius jubilæus anno CIↃ CCCC. celebratus fuit. Quartus incidit in annum quinquageſimum ſeculi XV. ſub Nicolao V. Eopſe ſeculo iterum Jubilæi terminus immutatus eſt, & ad viceſimum annum reſtrictus à Paulo II. natione Veneto, vel potius Sixto IV. Quod ingratiis tamen dicimus Joannis Lorini Jeſuitæ Avenionenſis in p. 863. a. Commentarii in Leviticum Lugduni M. DC. XIX. in fol. editi ſcribentis: *Falſo autem Sleidanus hæreticus lib. XXI.* (p. 672.) *prodidit à Sixto IV. primum cœpiſſe celebrari jubilæum anno XXV. quod tamen etiam Onuphrius continuans Platinæ hiſtoriam ſcribit.* At Onuphrius Panvinius Antonio Poſſevino

vir

vir ingentis lectionis eſt, & Paullo Manutio *Hiſtoriarum Helluo.* Eſt & à Sleidano (præter P. Stephan. Pighium cujus verba integrum cap. XII. ſicuti & XIII. ſequens faciunt in Andr. Schotti Veſaliæ edito in 12. admodum vitioſo Itinerario Italiæ longe à ſuperius adducto diverſo, ubi in p. 481. habetur *Sixtus IV. denique temporis interſtitium contraxit ad annos XXV.*) Polydorus Vergilius Urbinas capite libri octavi ſtatim primo p. m. 456. edit. opt. Argentorat. M. DC. VI. *Poſtremo,* inquit, *Sixtus IV. jubilæum ad vigeſimum quemque annum reduxit, primuſque celebravit: qui fuit annus MCCCC. LXXV. ſalutis.* Facit cum eo quoque Jacob. Auguſtus Thuanus p. 280. libr. Hiſtor. Imo ſi vel maxime anteceſſor Sixti, Paullus nempe II. Jubilæam periodum ad ſpatium xxv. annorum redegit, quod præter Lorinum Hieronymus quoque Capugnanus vult in Narrat. de Jub. apud Schottum: & ſine dubio certum eſt, repentina tamen è gula, ut ferunt, attracta morte præpeditus iſtud Jubilæum non celebravit, ut ita Sixtus IV. omnino primus fuerit, qui anno XXV. iſtud egerit Jubilæum, ac anteceſſoris Paulli, decretum facto confirmarit. Sane decretum erat ut anno Domini CIↃ CCCC. LXXIV. à vigilia Nativitatis Domini hic Jubilæus inciperet. Decretum iſtud Paulli II. repetit & adprobat ejus ſucceſſor Sixtus IV. in bulla confirmationis publicata CIↃ CCCC LXXIII. 4. Kalend. Septemb. c. *quemadmodum Extr. de & pæn. & remiſ. Quintus* proinde Jubilæus in LXXV. dicti ſeculi, quintum vero pontificatus Sixti annum incidit. Sub eodem Sixto anno CIↃ CCCC LXXIX. facta eſt Compluti per Alfonſum Catillum, Archiepiſcopum Toletanum, congregatio multorum Doctorum Theologiæ & utriuſque juris ſuper libello Confeſſionis edito per Petrum Oxomenſem in Univerſitate Salmantina Theologiæ Pro-

fessorem. Conclusiones IX. ex illo libro depromptas, quarum quincta est, *quod non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta*, tanquam hæreticas, erroneas ac scandalosas congregatio damnavit librumque illum comburendum judicavit: Petrus vero libri auctor solemniter errores revocare coactus fuit. Eodem anno Joh. Wesselus Groningensis, Concionator Wormatiensis, Magister Contradictionis dictus, ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis Moguntiæ damnatur, quod de indulgentiis & aliis articulis quædam à recepta sententia aliena doceret. Circa finem XV. seculi Hieronymus Savonarola, Ferrariensis, *insignis & doctrina & sanctimonia Vir* (ut eum laudat *Angel. Polit. lib. IV. ep. II.*) *cælestisque doctrinæ prædicator egregius*, easdem Papales Indulgentias acriter reprehendit, sed jussu Alexandri VI. Papæ Florentiæ crematus est anno CIↃ CCCC XCIIX Is vero, quem memoratus Schottus in animo habuit, absque dubio Bonifacius fuit VIII. ille à vulpino ingressu, leonino regno, & canina morte sat nobilis Papa, hic primus constituit Jubilæum centesimo quoque anno celebrandum, in quo omnibus tam in isto, quam in *quolibet anno centesimo secuturo: ad Basilicas* SS. Petri & Pauli *accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confessis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedit veniam peccatorum, hac addita conditione, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ* ab ipso *concessæ fieri participes, si fuerint Romani, ad minus XXX. diebus continuis seu interpolatis & saltem semel in die, si vero peregrini fuerint aut forenses, simili modo diebus XV. ad Basilicas easdem accedant*; quibus verbis ipse animi sui mentem nobis exposuit. c. *antiquorum. Extr. de pœn. & remis.* Caussam autem sive potius prætextum hujus constitutionis hunc indicat: *Ut*

Beatissimi

Beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli eo amplius honorentur, quo ipſorum Baſilicæ de urbe devotius fuerint à fidelibus frequentatæ, fideles & ipſi ſpiritualium largitione munerum ex hujuſmodi frequentatione magis ſenſerint ſe refertos. Rectius, opinor, dixiſſet & apertius: Ut patrimonium Petri eo amplius locupletaretur, quo Ego *aurum undique conquiſitum plus quam dici poteſt ſitiens*, qualem Platina meus me depingit, mundanorum largitione munerum ex hujuſmodi frequentatione magis ſenſerim me refertum.

§. VII. Febris quartanæ depellendæ rationem miram, & paucis fortaſſe inauditam, quam, cum in Italia eſſet, à quodam Umbro acceperit, parte Commentarii in Horatium altera refert Dionyſius Lambinus Monſtrolienſis, p. m. 151. edit. Lutet. CIƆ IƆ LXXIX. in fol. ubi è libr. II. Satyr. II. v. 390. hæc verba Poëtæ exponit: *Frigida ſi puerum quartana reliquerit*; quæ tamen nonnullis ſuperſtitionem ſapere videtur. *Sumatur*, inquit, *totum id lotium, quod æger febre vigente, ſeu παροξυσμȣ̃ tempore ſemel effuderit. Hoc lotio in locum aquæ, tantum farinæ, quantum ſatis ſit ad exiguum panem conficiendum, temperetur, ſubigatur, ac pinſatur; paniſque* inde *fiat & coquatur: coctus & refrigeratus cani maſculo, eſurienti, ſi æger ſit mas: fœminæ, ſi fœmina ſit, præbeatur: idque ter fiat. Hoc facto æger convaleſcet, canis febri quartana corripietur.* Si tam facili & expedito modo incolumitas poſſet reſtitui, in promtu ſane ſemper eſſet auxilium atque paratum. Non minus miram Quintus Serenus Samonicus curationem, & ut ipſe ait, *mirandum fert*, imo ſuperſtitioſam de libro quarto Iliados Homericæ capiti ſupponendo. En ejus verba è cap. XLVIII. quod *de Quartanæ typo medicando* eſt; v. 5. ſ.

Allia non pudeat terno cum cimice trita
Et diluta mero mediis haurire diebus,

Aut facilem jecoris murini ducere fibram,
Quatuor ut duri jungantur ſcrupula Bacchi.
Mira eſt abſinthi cum ſimplice potio lympha.
Sume tribus digitis apprenſum ſemen anethi,
Tantundem marathri, mulſum nec deſit aceti,
In cujus cyatho prædicta ſalubriter hauris.
Mæoniæ Iliados quartum ſuppone timenti,
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodeſt & potus, ſed mulſus, Doridis humor.
Quidem etiam miranda ferunt veniente calore,
Jurantes ludum Veneris munuſque petendum.
Sed prius eſt oleo partus ferveſcere ranæ
In triviis, illoque artus perducere ſucco.

Cur non etiam tertius liber Tertianam? Nimirum opinabantur Homericis majorem vim & virtutem ineſſe, quam ceterorum Poëtarum: Unde & Homericam incantationem Galenus adprobavit in libro de occultis rerum proprietatibus, ut auctor eſt Alexander Trallianus, libro IX. cap. IV. Exſtat in Odyſſ. τ. carmen efficaciſſimum, quo repreſſum Ulyſſi ſanguinem ab Autolyci filiis, Poëta canit hiſce verſibus; ϒ. 465.

Τὸν μὲν ἄρ' Αὐτολύκου παῖδες φίλοι ἀμφεπένοντο.
Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο.
Δῆσαν ἐπισταμένως ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον. ——————————

Sic potores ebrios fieri negabant, ſi primis poculis hoc ejuſdem metrum ex Il. θ. v. 170. pronuntiaſſent:

Τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς.

Sic illud ex Iliad. ε. v. 387. arbori appenſum, fructum continere tradunt, nec injuria ulla cœleſti decidere:

Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.

Ad

Ad dolores arthriticos hoc ſequens ejuſdem commendatur, quod extat Iliad. *β*. v. 95.

Τετρήχει δ' ἀγορὴ, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα.

Alex. Trallianus contra podagram, auream laminam præſcribit, in qua, Luna in Libra vel Leone conſiſtente, inſcriptus ſit idem verſus Homericus. An amuletis militaribus aliqua contra vulnera vis inſit? erudite, quod ſolet, diſputat poſt Philippum Camerarium, Cent. III. Oper. Horar. ſucciſiv. cap. XXX. p. 102. ſ. edit. Francofurt. M. DC. LVIII. in 4to. optimus Matthias Berneggerus, p. m. Q. XXXIX. in Tacitum. Quod *de ludo Veneris* ſcribebat Serenus, eſus exemplum refert Grainerius apud Foreſtum, III. Obſervation. XXIX. p. 100. nimirum quod ſocius ſuus rigorem quartanæ averterit juvenculæ cujuſdam nudæ XVIII. annorum complexu. Verum tali qui ſe ſubmittit igni, videat ille Terentianus febricitans, ne plus ſatis caleſcat. Eun. I. II. 5. Vidit D. Tackius, Judæum, inſcriptis chartæ quatuor fluminibus Paradiſi, eaque collo febricitantis adpenſa, febres profligare. Vide Diſp. ejus II. de Fontibus p. 26. D. Joh. Cunr. Dictericum in Iatreo Hippocratico, p. m. 726. edit. Ulmenſ. M. DC. LXI. in 4to, adducentem Brodæum, VI. Miſcell. cap. XX. p. 561. quo deſtituor. Animi immoderati gaudium inſignemque etiam hunc pellere fortunam morbum teſtatur Plinius, VII. Natur. Hiſtor. cap. L. Q. *Fabius Maximus Conſul apud flumen Iſaram prælio commiſſo adverſus Allobrogum Avernorumque gentes, ad VI. Idus Auguſtas CXXX. M. perduellium cæſis, febri quartana liberatus eſt in acie.* Per meri potionem ipſam illam depulſam quartanam III. Argenidis p. 330. Barclajus retulit, ſcriptor quidem recens, ſed cum quovis veterum comparandus. Otii prodigum hominem oportet fuiſſe Favorinum,

Philoſophum, quum *febrim* hanc *quartis diebus recurrentem, vel morbum quartanæ,* ut caſtigatiſſimi ſermonis auctor Suetonius in primo capite Julii vocat, laudavit apud Gellium, lib. XVII. cap. XII. In cujus morbi laudibus teſtem etiam Platonem produxit: quem ſcripſiſſe ajebat, *qui quartanam paſſus convaluerit, vireſque integras recuperaverit, fidelibus, conſtantiusque poſtea valiturum.* At non occurrit hodie, quod ſciam, ſubdit interpres, in ſcriptis Platonis, quæ extant, hujuſmodi locus, ubi dicat, eos qui ex febri quartanæ convaluerint, poſtea ſaniores validioreſque exiſtere. Qui vitam Platonis conſcripſere, dicunt quidem Platonem ob Academiæ habitationem paſſum eſſe quartanam febrem menſes decem atque octo: ſed ſobrietate & diligentia ſua vires poſt febrem validiores, quam antea recuperaſſe. Et hinc forte eſt; quod Cicero ultimo ad Familiar. Ep. XI. ad Tironem ſcribat: *Quum in quartanam converſa vis eſt morbi, ſpero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore.* Mirum eſt, quod tradit Henr. Stephani in p. m. 392. Palæſtræ I. de Lipſii Latinitate: *Audivi aliquoties Scotos inter ſe contendentes, falſumne an verum eſſet; quod de iſto ſuæ patriæ privilegio diceretur: Scotiam nempe febri quartanæ minime eſſe obnoxiam, niſi forte alia in regione Scotum quempiam corripiat, qui adhuc ea laborans ſuam in patriam revertatur. Ac veriſimile eſt hujus morbi in Scotia, ac in nonnullis præſertim ejus locis, raritatem, ſpargendæ huic famæ materiam præbuiſſe.*

§. VIII. Miror Gellium in capite VI. libri XI. Noctium Atticar. ſcribentem. *In veteribus ſcriptis neque mulieres Romanæ per Herculem dejurant, neque viri per Caſtorem. Sed cur illæ non juraverint Herculem, non obſcurum eſt. Nam Herculaneo ſacrificio abſtinent. Cur autem viri Caſtorem jurantes non adpellaverint, non facile dictu eſt. Nuſquam igitur ſcriptum invenire eſt*
apud

apud idoneos quidem ſcripto es, aut mehercle *feminam dicere, aut* mecaſtor *virum.* Ædepol *autem,* quod *jusjurandum per Pollucem eſt, & viro & feminæ commune eſt. Sed M. Varro adſeverat, antiquiſſimos viros neque per Caſtorem, neque per Pollucem dejurare ſolitos; ſed id jusjurandum fuiſſe tantum feminarum ex initiis Eleuſiniis acceptum: paullatim tamen, inſcitia antiquitatis, viros dicere* ædepol *cœpiſſe, factumque eſſe ita dicendi morem: ſed* mecaſtor *à viro dici, in nullo vetere ſcripto inveniri;* potuiſſe Clariſſim. horum virorum adſenſum impetrare, ut Barnabæ Briſſonii I. & VIII. Formul. Jac. Eberti in Hiſtor. Jurament. p. 74. & Jo. Limnæi diſſert. I. de Academiis Coroll. VI. quin etiam Doctiſſ. Pincierum hoc Gellii loco ſeductum, eruditiſſimum Nicodemum Friſchlinum, Pinciero in eruditione nullo modo inferiorem, miſere flagellare in p. 299. Otii Marpurgenſ. quod *ignarus atque imprudens ſine ullo diſcrimine utrique juramenta hæc ſexui attribuat contra veterum & idoneorum auctorum ſcripta.* At Plautus neque novus, neque inidoneus ſcriptor, ſed decima Muſa, atque ipſi Gellio, lib. VII. cap. XVII. *homo Linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps,* producit in Trucul. II. I. 1. ancillam ſuam Aſtaphium ita cachinnantem: *Ha, ha, ha! hercle quievi, quia introivit odium* ——— Ubi fruſtra Palmerius lectionem hanc ſollicitat, ut Gellii & Varronis obſervationem tueatur. Et in Aſinar. V. I. 46. Paraſitum ——— *mecaſtor dignus eſt.* ——— Appulejum omitto, qui crebro *Hercules* vel *mehercules* uſurpat, cum mulieres loquentes introducit. Marc. Zuerius Boxhornius, quare Herculis ſacrum femina non fuerit ingreſſa, Quæſt. XXIII. Romana p. m. 95. edit. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXXVII. in 4to. aliquot cauſſas coacervat: autem ejus adeo, cur feminis, qui tamen titulus quæſtionis eſt, per Herculem jurare non licuerit? Nec

ipsum audio in solutione Quæst. XXXII. p. m. 110. veriorem enim caussam adfert Scaliger ad Manilium, p. m. 324. Sed demus alienis erratis veniam, ut nostris impetremus, aversemurque Ethnicæ idololatriæ propria vocabula, ut nec Deum nomine Jovis aut Bacchi, nec virtutem qua præest studiis Musas, nec providentiam ejus in benedicendo partu Lucinam, nec eam quæ circa vitam & mortem se exserit, Parcas vocemus: qua tamen in re nonnulli stultum ornatum Poëticum quærunt. Nobis vero nihil esto ornatum, quod vel minimam sapit Paganismi adprobationem, & Christianæ religionis puritatem ac simplicitatem turbat. Absit itaque, ut ex ore Christiano sonet *mehercule*, *mecastor* & cetera portenta non numina. Poësis Davidica non assumsit ab Ethnicorum fabulositatibus ornamenta in Psaltico carmine. In quo licet pro more Hebrææ linguæ non sit metrum, quale est Latinis & Græcis, quibus longarum & brevium syllabarum ad modulationem requisita magna est, iisdem etiam in vocibus, copia & varietas; est tamen in pathetico & graphico dicendi genere ea sublimitas, quæ omnem vim Ethnicorum longo post se intervallo relinquat, ut impie insanivisse sit dicendus, qui Pindaricas Psalmis odas antetulerit aut etiam æquaverit: quamquam Doricæ linguæ Poetica, inprimis apud Pindarum, indoles ad Hebrææ linguæ stylum ceteris dialectis Græcorum propius accedere animadvertatur: unde & Doricus in Musicis modus est ὑπέρσεμνος, i. e. admodum gravis, quem etiam *Aristoteles Pol* VIII. *cap.* VII. ob eam caussam adolescentes vult doceri. Adde hic Christoph. Schraderi tractatum de Stylo Ethnicismo fugiendo circa jurandi adverbia Lipsiæ CIↃ IↃC LXXXVIII. in 4to editum. Item Vossium de Imitatione Poëtica §. 8. n. l. p. 771. edit. Roterodam. nostræ; auctoresque ceteros à nobis ibi laudatos.

§. IX. De-

§. IX. Delatus hac ex occasione in argumentum de Musica, reminiscor apud Platonem olim me legisse, quod non paucis mirum visum, mutatos Musicæ modulos status publici mutationem adferre. Quamquam enim me minime præterit, quibusdam à delicatioribus judicii hominibus Platonem non satis aptum, ut Josephus ait, politicæ disciplinæ magistrum esse habitum: hic tamen forte non præter rem ille ipse ita consulit in medium. Enimvero multarum in Græcia civitatium interfuit antiquum conservare vocum modum, quarum mores lapsi ad perniciem pariter sunt cum cantibus immutati. Nam ea Musicæ vis est, ut cum remittat animos, tum contrahat: languentes incitet, effeminet excitatos. Quæ de Terpandro & de Timotheo scripta sunt omnium jam in ore versantur. Vide Athenæum in XIV. & Tullium, II. de Legibus cap. XV. extr. Huic eam arti vim inesse, ut vel Tyrannorum molliat sævitiam, testis est Pheræorum Tyrannus Alexander qui aurium voluptate delinitus, cum Tragœdum spectaret, supra modum in misericordiam versus fuisse dicitur. His adjicit Plato, talibus omnem in vitam adolescentes moribus evadere, quales sunt modulationes, quas à teneris annis didicerunt. Unde enim apud Græcos tam varia canendi genera, nisi ex morum varietate? Melos Æolium simplex fuit, Ionium molle, Phrygium religiosum, Lydium querulum, Asium varium, Dorium bellicosum, tale denique, quales cujusque populi mores ac studia fuerunt. Graviter itaque vetus illa Græcia Musicæ mutationem vindicabat. Pherecrates Comicus acerbe de Timotheo conquerentem Musicam introduxit, quod unam & alteram chordam fidibus suis ad suaviorem modulationem addidisset. Ephori Terpandro gravem irrogarant multam, quod variandæ vocis gratia unam

perperam

perperam intendiſſet chordam. Uſque adeo verebantur hanc labem Græci, & in Muſicæ modulis maxima rerum publicarum momenta verti putabant. E re erit forte hic evolvere Eraſm. Apopth. lib. I. Cent. II. n. 75. p. 59. ſ. edit. Baſil. Froben. M. D. LVIII. & lib. II. Cent. II. n. XIII. XIV. XV. p. 139. ſ. Ger. Jo. Voſſium, de quatuor Artibus Popularibus cap. IV. quod eſt de Muſice, §. 46. 47. p. m. 57. ſ. edit. Amſtel. M. DC. LX. 4to. *Hoc de argumento*, mutata Muſica, ut cenſuit Plato, etiam Reſpublicas mutari, *à veterum aut recentiorum nemine ſatis, quod ſciam, explicato, nonnulla olim privatim mihi ſum commentatus*, ſcribit Marcus Zuerius Boxhornius in Epiſt. p. m. 175. edit. opt. Francof. M. DC. LXXIX. in 12. hanc enim Amſtel. M. DC. LXII. in 12. vel ob præfationem B. Jacobi Thomaſii & Indicem verum in Boxhornii Epiſtolis occurrentium meliorem habeo. Epiſtolam vero Boxhornii memoratam de Muſica docte refutat Auctor Colloquior. Menſtruor. Germanic. Menſ. Septembr. anni CIↃ IↃC XCII. p. m. 710. in 8vo. Magna de vi & Muſices efficacia memorabilem refert lib. XII. Hiſtoriæ Danicæ, p. m. 226. edit. opt. Soranæ, M. DC. XLIV. in fol. Saxo Grammaticus Hiſtoriam, ac ex eo Nicol. Cauſſinus his verbis: *Reverſus Ericus cum more regio domi in propatulo cœnitaret, inter alios quemdam Muſicæ rationis Profeſſorem adeſſe contigit. Qui cum multa ſuper artis ſuæ laudibus diſputaſſet, inter cetera quoque ſonorum modis homines in amentiam, furoremque pertrahi poſſe firmabat. Quin etiam tantas fidibus vires ineſſe dicebat, ut perceptis earum modulationibus adſtantes mente conſtaturos negaret. Cumque an ejuſmodi uſu calleret interrogatus, peritiam fateretur, tum precibus Regis, tum etiam minis effectum præſentare compellitur. Qui cum nec vecordiæ metu, nec periculi prædictione imperantem avertere potuiſſet, ne furori nocendi materia ſuppeteret,*

teret, primum æde armis vacuefacta, complures extra auditum citharæ in ambitu collocandos curavit, oriente vesaniæ strepitu fores irrumpere, ereptamque manibus suis citharam capiti illidere jussos, ne ulterior ejus modulatio supervenientes quoque mente captos efficeret. Monuit quoque præsto esse, qui furentium vesaniæ valenter occurrerent, ne lymphantes, dementia in rixam versa, mutuis se ipsos viribus interimerent. Obtemperatum consilio est. Igitur armis domo egestis, claustrorumque custodia obseratis, fidibus operam dare exorsus, inusitatæ severitatis musam edidit. Cujus prima specie præsentes veluti mæstitia ac stupore complevit. Qui postmodum ad petulantiorem mentis statum vegetioribus lyræ sonis adducti, jocabundis corporum motibus gestiendo, dolorem plausu permutare cœperunt. Postremo ad rabiem & temeritatem usque modis acrioribus incitati, captum amentia spiritum clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus modorum varietas inflectebat. Igitur qui in atrio Melodiæ expertes constiterant, Regem cum admissis dementire cognoscunt, irruptaque æde furentem complexi, comprehensum continere nequibant: quippe nimio captu furoris instinctus, eorum se valide complexibus eruebat. Naturæ siquidem ejus vires etiam rabies cumulabat. Victo itaque colluctantium robore procursum nactus, convulsus (lege *convulsis*) *regiæ foribus, arreptoque ense, quatuor militum continendi ejus gratia propius accedentium necem peregit. Ad ultimum pulvinarium mole, quæ undique à satellitibus congerebantur, obrutus, magno cum omnium periculo comprehenditur. Ubi vero mente constitit, læsæ primum militiæ justa persolvit. Ut autem acrioribus expiationis modis pœnitentiam ederet, redimendæ noxæ gratia, religiosæ peregrinationis propositum amplexatus est, Judæamque divinæ visitationis memoriæ venerabilem adire constituit.* In quæ Saxonis verba hæc Stephanus Johannis Stephanius, p. m. 225. C. notat. *In infinitum sermo excurreret, si vim illam ac potestatem, quam in omnem animæ no-*

ſtræ habitum Harmonicus ille concentus exerceat, pluribus exemplis & documentis illuſtrare aggrederer. Unicum ſaltem adjiciam huic ipſi Saxonis narrationi conſentaneum, de Gentium illo domitore Alexandro M. qui Antigenide tibicine modulante, uſque adeo, velut lymphatico impetu incitatus, exarſiſſe dicitur, ut concuſſis armis ſe proripiens è mediis epulis, manus in adſtantes, ſono nempe bellico inlectus, intenderet. *Nec multo poſt, mitiore ſono tibiarum, ab armis ad epulas fuit revocatus. Plutarchus, lib. II. de Fortuna Alexandri.* Juvat Ger. Jo. Voſſius, cujus è libri de Muſice cap. IV. §. 45. p. m. 56. edit. opt. Amſtel. M. DC. LX. in 4to ſequentia ſubjungo verba: *Quod Timotheus cantu ſuo Alexandrum M. ad arma concitarit refert etiam Dio Chryſoſtomus, Orat. I. de Regno,* (p. m. 1, 2.) *& B. Baſilius de legendis Græcorum, ſive potius Gentilium libris. Ac geminum hiſce, quod de Antigenida tibicine* ἁρμάτειον νόμον, *ſeu* modum harmation *concinente refert Plutarchus, lib. II. de Fortuna, vel virtute Alexandri,* p. 597. edit. Henr. Steph. *ubi regem eum ait ſic fuiſſe eo cantico inflammatum, ut cum impetu arma, quæ in proximo conſpiceret, continuo arriperet, ac teſtimonium ferret Spartiatis ita canentibus:* ἕρπει γὰρ ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν. *Quod Budæus reddidit:* Urget enim in ferrum ſcite fidibus canere. (At non de Antigenida ſed Timotheo id referunt alii in his Suidas in Τιμόθεος.) *Mirum etiam exemplum de Citharœdo & Erico II.* (Bono) *Daniæ Rege prodidit Saxo Grammaticus, lib. XII.* p. 226. edit. Soranæ. *Et illud Alexandri M. exemplo, quod jam vidimus ſimile de Hippolyto Medice, Cardinale in Pannonia apud exercitum (legatus erat) agente, narrat Hieronymus Magius, Var. Lect. lib. IV. cap. XIII. Et quid mirum, ſi Muſica tantum in animos poſſit humanos; quando & equi tubarum cantu ad prælium animantur? Quod cum*

cum experientia sit notissimum, Plinium, Heliodorum, ceteros, nihil opus ad partes advocare. Hæc Ger. Jo. Vossius. Sed filio Isaaco Vossio idem non videtur, quod patri, in libro enim de Poëmatum Cantu & viribus Rythmi, Oxoniæ anno M. DC. LXXIII. in 8vo publicato, p. m. 58. s. hunc scribit in modum: *Scio quidem ea quæ Saxo Grammaticus de quodam Daniæ prodidit rege, quo modo scil. ille Citharœdi cantu ad furorem & insaniam usque redactus fuerit; sed profecto mera hæc fabella. Iste Grammaticus ut multa alia aliunde petita ad suos transtulit usus: sic quoque Historiolam, quæ de Alexandro & Timotheo narratur Musico, alicui gentis suæ principi adscribere non dubitavit. Tantum abest ut barbaro isto seculo usquam terrarum, nedum in Dania, reperiri potuerit Musicus aliquis, qui solo Citharæ tactu vehementes adeo concitarit adfectus, ut nunc quidem longe florentiore Musica, ullus in tota reperiatur Europa, qui tale quid vel possit, vel audeat.* Quibus an fidem Saxonis Vossius satis solicitet, valde dubito.

§. X. Coronidis loco adjiciam elegantem doctissimi alicujus viri super morbo & morte Celeberrimi philosophi Renati Cartesiii scriptam epistolam, nunquam, quantum adsequi potui, typis provulgatam, ita habentem. Vir amicissime, amicorum optime. Scis, ante plusculos menses, Cartesium Reginam salutatum in Sueciam venisse. Is heri quarta antelucana funesta peripneumonia confectus animam efflavit, tantoque (si dis placet) Philosopho indigna catastrophe vitæ fabulam clausit. Primo morbi biduo profundo somno sopitus, rheumatismo se destineri putabat, nil interim vel cibi, vel potus, vel Medicinæ sumens. Alterum biduum insomnis planeque irrequietus egit, victus remediique æque abstinens. Diverterat D. Cartesius ad Excellentiss. Dn. Chanut, Legatum Gallicum, virum litteratum & gravem. Rogabat

gabat is instabatque apud ægrotum, accersi me, valetudinisque suæ curam habere, pateretur. Verum ille iterum iterumque obstinate negare, contraque, non adeo se Medicinæ rudem; ut aliena manū sibi sit opus, pertendere. Quare cum periculum in mora esset, optimaque Regina vel inviti rationem haberi vellet, jussu ejus Cartesium accedo, operamque, quanta in me est; quam humanissime offero. Admittor, quamvis etiamnum ægre. Verum paucis sermonibus ultro citroque habitis cum de morbi natura, deque remedii genere non idem sentiremus, sine fructu discessi. Venæ sectionem adeo contra gentis suæ morem, metuebat, ut ad solam ejus mentionem exhorresceret, & bis in hæc verba erumperet: *Messieurs espargnez le sang Francois*, tertiumque biduum πεπασμῷ dari peteret. Ego interim cogitabam, invitum qui servat, idem facit occidenti: cumque instantis mortis non jam σημεῖα, sed ἀναμφισβήτητα τεκμήρια se proderent, manum libenter à morituro abstinebam. Elapso deinde tertio biduo falli se jam & febre teneri querebatur, eaque ex adloquio meo (paucorum licet verborum, minimeque contentioso) oborta. Non habui febrem Symmache, nunc habeo. Exsolvi mox brachium, sanguinemque sibi ter eadem die detrahi, satis pro attritis viribus copiose, jubet. Octavo die singultus, sputa nigra, respiratio μετέωρος, oculi vagi, omnia funesta. Ille vinum poscit, quod infusum haberet tabacum, vomitu hostem exturbaturus; & mos erat gerendus, nisi in furorem plane conjicere voluissem hominem obstinatum; ita tamen moderato consilio, ut vino aqua diluto levis sola immersione tabaci odor adflaretur, nec obesse magnopere posset remedium, alias in hoc adfectu tantum non occidere natum. Ego interea

terea poſt carecta latebam, & in urina δεινὸν βλέπων, tamquam anus fatidica mortis auguria canebam. Nono, omnia difficilia. Decimo, ſummo mane, animam DEO reddidit. Ita ſpero voveoque. Illud inprimis mirandum in eo fuit, quod, cum ipſe Dn. Legatus in eodem prorſus morbo decumberet, idem Carteſius, me inconſulto, ne minimum quidem ægro fieri paſſus eſſet, ſingulaque remedia præſens levamen adferre vidiſſet, adeo tamen ab omni medicina & medici conſilio toto morbi decurſu alienus fuerit, ut ne adſpectum quidem meum, niſi ſemel, ſuſtinuerit, dicereque (*que s'il devoit mourir, il mourroit avec plus de contentement, s'il ne me voyoit point*) non erubuerit. Nunc mente fuiſſe motus, nec quidquam ſani, niſi ſub finem vitæ, de morbi ſui more & modo protuliſſe dicitur. Valde caute! ut recuperate ſanitatis laus ſoli ægro, commiſſi erroris fœditas morbo imputaretur. Audit ſane ille paſſim vir magnus: ſed tamen ego homuncio nolim me ſic laudari, & tam magnis auſis ejuſmodi colophonem imponere. Verum non decet fortaſſis tenuitatem meam virgula cenſoria configere virum incomparabilem; neſcio enim, cui comparem: adeo ille in fatuo hoc Philoſophandi modo palmam meretur. Quare ut de cunctis illis ſapientiam hactenus profeſſis male meruit: ita debitum illi decus poſteritatem rependere facile patior. Verbum nec amplius addo. Parum enim abeſt, quin ſerio iraſcar tam protervis ingeniis. Vale. Stockholmiæ XII. Februar. 1650.



INDEX RERUM.

A.

E. *Editiones*

Schottus

FINIS.